



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Disputatio LXIII. De effectibus Eucharistiæ in anima.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

SECTIO I.

Utrum hoc sacramentum conferat gratiam sanctificantem, vel augmentum eius.

Primus error fuit, hunc cibum nec prodesse quicquam, nec obesse. Ita senserunt Melisiani, ut refert Theodor. libr. 4. hist. cap. 10. & libr. 7. Tripart. c. 11. Huic errori fauet Origen. in id. Matth. 15. Non quod intrat per os: & c. nisi pie exponatur. Præterea etiam Castro hunc errorem Armenis tribuunt, dicentibus, hoc sacramentum prodesse corpori, non animæ: Et hæretici huius temporis idem sentiunt de hoc sacramento, quod de Baptismo, tantum, scilicet, prodesse ut obiectum excitat fidem, quod posset etiam facere panis non consecratus, si ad aliquid significandum imponeretur. Vnde admiratione dignum est, quod hi hæretici alium errorem extreme contrarium posita confinxerint, tribuentes huic sacramento quod peccata mortalia, etiam sine vlla poenitentia, possit remittere, de quo dicemus latius sect. sequente.

Dico primo, hoc sacramentum per se ex propria institutione conferre gratiæ augmentum, vt magis ac magis hominem cum Christo vniat. Hæc conclusio est de fide, vt docent Scholastici omnes, D. Thom. hic & Magist. d. 9. & 12. Innoc. lib. 4. de hoc myst. c. 44. Alenf. 4. p. q. 41. Marfil. in 4. q. 6. art. 4. Gabr. lect. 85. in Can. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 12. Et omnes recentiores qui contra hæreticos scribunt. Ruar. artic. 15. Clitotæus libr. 2. de hoc sacram. Hofius in confel. ca. 39. & 40. Claud. repet. 6. c. 12. Pet. Soto lect. 11. ne Euch. Canis. in Catech. tit. de Euch. §. 9. Torrens. in conf. Aug. c. 6. de Euch. §. 10. & 11. Bellar. lib. 4. de Eucharist. c. 27. Et probatur primo, quia hoc sacramentum confert gratiam ex opere operato: ergo per se maxime cõfert gratiæ augmentum. Antecedens constat primo ex duobus principijs fidei, nimirum, omnia sacramenta nouæ Legis conferre gratiam, & Eucharistiam esse sacramentum nouæ Legis. Secundo ex Io. Qui manducat me, viuet propter me, & Qui manducat meâ carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, Et. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quam Christi promissionem ita intelligunt Patres. Vnde in Conc. Eph. in ep. Cyri. ad Nestorium sic dicitur. Ad mysticam benedictionem accedimus & sanctificamur, participes facti pretiosi corporis & sanguinis Christi: Et infra, manducamus carnem Christi, vt vere viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factâ, Et Basil. ser. 1. de Bapt. c. 13. Qui per baptismum regeneratus est, participatione diuinorum mysteriorum deinceps nutrirî debet. Similia habet ser. 14. de Passi. Domini. & Cyril. li. 4. in Io. c. 16. & optime omnium Chrysl. 6. de Sacerdotio, & hom. 45. in Ioan. & hom. 83. in Matth. Maiori, inquit: desiderio, quasi lactentes pueri gratiâ Spiritus fugamus: vnus fit nobis dolor, vna mœsticia, si hoc alimento spiritali priuemur. Optime etiam Cypr. ser. de Cœn. Dom. dicens: Panis hic per speciem & sacramentum res tactu sanctificat: fide illuminat, veritate Christo cõformat: significas, præter opus suscipientis hoc sacramentum tactu suo sanctificare animam sicut Matth. 9. ad tactum femine dixit Christus: ego sensi virtutem ex me exiisse: plura alia in sequentibus referemus. Terio definitur hæc veritas, & explicatur hic effectus in Conc. Florent. in Decreto Eugenij, & Trident. ita explicante supra citata verba Ioan. sess. 15. c. 2. Et idem habetur in Conc. Viennens. sub Clem. V. & habetur in Clem. vnica, de reliq. & venerat. Sanct. Et colligitur etiam ex Concil. Later. sub Innoc. III. quod habetur in ca. Firmiter, de Sum. Trin. & fide. Cath. ex c. Cum Marghæ. de celebr. Miss. Quarto adiungitur ratio, quia hoc sacramentum institutum est per modum cibi & potus, iuxta illud. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Io. 6. & illud. Accipite, manducate, & bibite: sed propria ratio cibi est, vt conferatur ad nutrimentum & augmentum viuientis, ergo hic cibus datur ad nutri-

Errores circa presentem quæst. Theodor. Origen. Præterea, Castro.

Eucharistia per se conferre gratiæ augmentum. D. Thom. Magist. Alenf. Marfil. Gabriel. Anton. Ruard. Clitotæus. Hofius. Clauus. Pet. Soto. Canis. Torrens. Bellarmino.

Cyri.

Basil.

Cyrl.

Chrystom.

Cyprian.

Matth. 9.

Florent.

Trident.

Viennens.

Ioan. 6.

Art. 1. C. 1. huius q.

Conclusio, quæstio, res, non, im-

Disputatio, de Eucharistia.

nullo modo impediunt effectum huius sacramenti. Potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissâ, deuote accedat ad hoc sacramentum, & plenarie huius sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius sacramenti effectum, sed in parte: dictum est enim, quod effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiâ quadam actualis resectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum, per peccata venialia mente distractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod ille, qui cum actus venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat spiritaliter, sed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius sacramenti percipit, non autem actualem.

Ad secundum dicendum, quod baptismus non ita ordinatur ad actualem effectum, id est, seruum charitatis, sicut hoc sacramentum. Nam baptismus est specialis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quæ est habitus, vel forma. Hoc autem sacramentum est spiritalis manducatio, quæ habet actualem delectationem.

Ad tertium dicendum, quod illa ratio procedit de venialibus præteritis, quæ per hoc sacramentum tolluntur.

COMMENTARIVS.

Respondet D. Thomas, peccata venialia præterita, seu in habitu solo manentia per se nullum effectum huius sacramenti impedire: actualia vero venialia peccata, id est, quæ quis actu committit, vel quibus distractus est, cum actu communicat, impedire quidem effectum actualis deuotionis, non autem effectum augmenti gratiæ vel charitatis, cuius rationem significat in solutione ad 1. quia, qui se recipit hoc sacramentum, habitualiter quidem spiritaliter manducat, non tamen actualiter. Vnde in solutione ad tertium, etiam in dicit, veniale peccatum habituale non impedire remissionem sui ipsius, actualia autem impedire sui remissionem: quia repugnat, peccatum tollendum actu committitur: alioqui simul esset, & non esset: vnde, cum dicitur, peccatum veniale habituale non impedire sui remissionem, necessario intelligendum est, non de peccato fixo existere in eodem instante, in quo datur effectus sacramenti: nam hoc eandem repugnantiam inuoluit, sed de peccato immediate antea existente: quodque in eodem etiam instante duraret, nisi per sacramentum auferretur.

DISPUTATIO LXIII.

De effectibus, quos hoc sacramentum Eucharistiæ efficit in anima.

OSTQVAM de essentia huius sacramenti, & de omnibus causis eius disputatum est, ad absoluendam priorem partem huius tractationis, quæ veluti speculatiuum cognitionem huius sacramenti continet, solum superest, vt de effectibus eius dicamus. Possunt autem hi effectus in anima, & in corpore intelligi: dicemus ergo prius de effectibus anime, qui plures ac certiores sunt; deinde, quidnam corpori conferat hoc sacramentum, & explicabimus. Et, quoniam effectus sacramenti coniunctus est cum dispositione suscipientis, simul de illa dicemus, non quatenus sub præceptum cadere potest; hoc enim ad moralem partem spectat: sed quatenus ad effectum sacramenti potest esse necessaria.

Franc. Suarez Tom. 3.

Rer 3 men-

mentum, & augmentum spiritualis vitae. In quo est notanda differentia inter cibum corporalem, & hunc spiritualem, quod ille non semper auget, quando nutritur: quia viuens non semper est in statu augmenti, et si nutriti possit: quia non semper plus acquirit, quam perdat, at vero in hoc sacramento idem est nutrire & augere gratiam, quia gratia nunquam remittitur, & ubique est nutritio, seu additio sine remissione, necesse est fieri augmentum.

*Obiectio.*

Dices, augere gratiam, est communis effectus sacramentorum nouae Legis, eorum praesertim, quae instituta non sunt ad remittendum mortale peccatum: ergo in hoc nihil habet proprii Eucharistia. Confirmatur, quia etiam sacramentum Confirmationis ordinatur ad augendam spiritualem vitam. Sed in primis nos haecenus non diximus, hunc esse proprium effectum Eucharistiae, sed solum, esse effectum eius. Deinde etiam in hoc habet aliquid proprium Eucharistia: quia reliqua sacramenta viuorum non ordinantur per se primo & directe ad nutriendam charitatem propter solum maiorem perfectionem eius, maior enim vnio cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia, & aliquod augmentum gratiae: at vero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam vnionem cum Christo, & cum corpore eius, iuxta illud 1. ad Cor. 10. Vnum corpus sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus, qui effectus, ut in superioribus saepe notauimus, ex Aug. & Cypriano in ipsis speciebus sacramentalibus significatur, quae ex pluribus rebus in vnam coalescentibus conficiuntur. Et propter hanc etiam causam dicunt Patres, reliquos cibos conuerti substantiam aliti, cui similes redduntur, hunc vero cibum in sese conuere hominem semanducentem, quia illum sanctiorem ac puriorem reddit, sibiq; similiorem ac magis vnitum. Et hinc etiam patet ad confirmationem, nam etiam sacramentum Confirmationis datur ad determinatum effectum, ut supra tractantes de illo sacramento latius diximus, & attigit etiam D. Thom. hic art. 1. ad 1. & latius Alenf. 4. p. q. 41. memb. 2.

*D. Thom.*

*Alenf.*

*Eucharistia*

*non est per se*

*primo instituta*

*ad conferendam*

*primam gratiam*

*sed*

*conferendum*

*peccatum mortale.*

*Scoti.*

*Dur.*

*Richard.*

*Palud.*

*Marfil.*

*Innocen.*

*Trident.*

*Florent.*

*Ancyran.*

*Nicanum.*

Dico secundo; Hoc sacramentum non est per se institutum ad conferendam primam gratiam, nec remittendum mortale peccatum, simul haec duo coniungo, quia ita sunt in re coniuncta, ut vel tonstruant vnicum effectum gratiae, vel certe per modum vnius, & ab eisdem causis procedant, ut ex materia de iustificatione constat. Haec ergo conclusio communis est Theologorum in 4. d. 9. & 12. Scoti, Durand. Richard. Palud. Marfil. q. 6. art. 4. & eandem tenet D. Tho. hic, art. 3. Innocen. lib. 4. de hoc myst. 4. 4. Et late probata est sup. disp. 2. de hoc sacramento. Nunc breuiter confirmatur, nam Con. Trid. sess. 13. c. 2. dicit, hoc sacramentum praeseruare a mortalibus, & remittere venialia: satis ergo aperte significat, non esse per se institutum ad remittendum mortale, vnde enumerans alios effectus huius sacramenti, istius nunquam meminit & eodem fere modo loquitur Concil. Florent. & alia infra referenda. Secundo confirmatur ex Ecclesiae consuetudine, consuevit enim nunquam praebere hoc sacramentum nisi eis, quos existimat mundatos esse a peccato per Baptismum, vel Poenitentiam, & prohibet dari publicis poenitentibus, donec absoluantur. Concil. Nicen. cap. 21. & Concil. Ancyran. ca. 4. & 5. de qua frequens sermo est apud Cyprianum in epistolis eius, ergo nunquam Ecclesia sentit, Eucharistiam esse remedium per se institutum ad tollendum mortale peccatum. Vnde argumentor tertio, quia sacramentum non supponit effectum, ad quem dandum, per se primo est institutum: sed Eucharistia, ut possit suum effectum praestare, per se supponit hominem iustum, ut scilicet sequente demonstrabimus ergo. Quarto, cibus non ordinatur de se ad viuificandum, seu suscitandum mortuum, sed ad nutriendum, vel confortandum hominem iam viuum: atqui hoc

sacramentum est institutum per modum cibi & potus: ergo. Reliqua videantur citato loco, quae ex hoc repetere necesse non est.

Sed contra hanc conclusio obici possunt in primis verba forma calicis: Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: & verba illa Ioan. 6. Hic est panis, qui dat vitam mundo. Ex quibus formari potest haec ratio, fundata etiam in testimonio Con. Eph. supra citato: quia in hoc sacramento sumitur Christus, qui peccata remittit, & tactu suo viuificat mortuos: ergo, sicut hoc sacramentum per se & ex sua institutione Christum continet, ita per se & ex sua institutione habet virtutem dandi vitam gratiae, & remittendi peccata mortalia: Secundo obici potest Concil. Flor. dicens: hoc sacramentum incorporare nos Christo, & Trident. supra. ca. dicens. Si quis dixerit, vel precipuum fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus provenire, anathema sit: supponit ergo, hoc sacramentum habere hunc effectum, quamuis, non solum, nec precipuum. Tertio obici possunt frequetes Patrum locutiones, Chryl. homil. 83. in Matth. comparans hoc sacramentum cum veteri agno (Si hoc inquit remissionem peccatorum facit, sicut certe facit, superuacuum illud omnino est. Et homil. 43. in Ioan. Hic nostrarum animarum salus est, hoc lauatur anima, hoc ornatur. Ambros. lib. de bened. Patriar. c. 9. Panis hic remissio peccatorum est: & serm. 15. in Plal. 118. Accedat, inquit, ad illud poculum, quo inebriatur effectus fidelium, & laetitiam in duat de remissione peccati Cyprian. ser. de Coen. Dom. Hac ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum: & inf. In huius presentia non superuacue medicant lachrymae veniam, nec vni patitur coctri cordis holocausti repullam. Et epist. 63. dicit: hoc sacramento fieri, ut mortui peccati ac triste, quod prius peccatis ingentibus premebatur, diuine indulgentiae laetitia resoluatur. Damasc. l. 4. c. 14. his, qui sacramentum hoc per fidem digni suscipiunt, in peccatorum remissionem, & vitam aeternam animiq; & corporis praesidium cedit, omne incommo dum propulsa eamq; vim habet, ut spurcitiā omnem abstergat, neq; in quibus sumus peccatis conderet, sed agrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, q; animam suam pro ouibus suis possit, ab omnino eripit casu. Similia sunt apud Cyrill. 4. in Ioan. c. 16. 17. & August. c. cum omne crimen, de Consec. d. 2. & plura statim. Quarto non repugnat, eandem rem esse cibum, & pharmacum. ergo hoc sacramentum potest per se ex vi suae institutionis vtrique rationem habere: quia licet peccatum mortale sit mors animae, quatenus tollit vitam gratiae, tamen quatenus non statim afferret vltimam & desperatam mortem, nec tollit oem motu spiritualis vitae, dicitur, animae infirmitas, quae ut sic, potest per pharmacum repelli. Vnde Ecclesia & sancti vtramq; rationem & denominationem huic sacramento attribuunt in Missa. n. orat Ecclesia, ut hoc sacramentum, sit fornicatio fragilium & ablutio scelerum: & in omnib. liturgiis habentur similes orationes. Vnde Ignatius ep. 14. ad Eph. in fine. Frangentes, inquit, panem q; pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamq; in Deo concilians per Iesum Christum medicamentum purgans vitam, & oia pellens mala. Chryl. hom. 4. in Matt. concilians purgans vitam, & oia pellens mala. Chryl. hom. 4. in Matt. de Coen. Panis hic ad totius hominis vitam salutemq; proficit, simul medicamentum & holocaustum, ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens: & infra tribuit huic sacramento vim nutriendi, & viuificandi, dicens: Panis propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter viuificationis efficientiam. Et infra. Ut penetrans omnia huius medicamenti virtus, sanaret quidquid morbi carni vel spiritui veteris vitae adlimerat corruptela. Aug. ser. 28. de verbis Dom. Qui vulnus habet, medicina regiae vulnus est, q; sub peccato stans, medicina est coelestis & yperena.

venerabile sacramentum, eodē modo loquitur. Am. 1. ad Corinth. 11. & Cyr. quarto in Ioannem ca. 17.

Ad primam obiectionem respondetur, verba illa forme non significare, bibi sanguinem in remissionē peccatorum, sed fuisse effusum in remissionem peccatorum: nunc vero offerri & consecrari, vt fructus illius passionis nobis applicetur. Deinde ex illis verbis, ad summum, habetur hoc mysterium, quatenus sacrificium est, consecrari & offerri in remissionem peccatorum, quomodo aut hoc possit fieri per sacrificium, infra suo loco dicemus. Ad testimonium ex Io. 6. dici potest, in illis verbis. Panis n. Dei est, qui de caelo descendit, & dat vitam mundo, nondum Christum locutum esse de hoc sacramento, sed absolute descripto sub metaphora panis. Sed quia in sequentibus habentur verba de hoc sacramento ferē quiualentia, dicendum est, hoc sacramentum dare vitam eo modo, quo cibis, scilicet, conseruando, & nutriendo illam. Vnde Cyr. supra. Sicut panis cōmunis, vita est corporis, ita super substantialis, vita est animæ. Adde interdum etiam reparare vitam, quamuis non per se, & ex propria institutione, vt iam dicam.

Ad secundum, Concil. Flor. vt etiam in superioribus dixi, manifeste declarat, se loqui de augmento gratiæ. Tridentinum generaliter loquitur de remissione peccatorum, abstrahendo à mortalibus vel venialibus, de quibus prius iam explicauerat, quid circa illa hoc sacramentum operaretur.

Ad tertium ex Patribus respondetur primo, Sanctos in communi loqui de hoc mysterio, vt sacramentum, & vt sacrificium est, & ita dicere, valere ad remissionem vel emundationem peccatorum, loqui et generaliter abstrahendo à mortalibus, vel venialibus peccatis, sub quibus penas et peccatorum comprehendunt. Vnde intelligi possunt, vel de remissione venialium, quoad culpam, vel de remissione mortaliū, quoad reatum pœnæ temporalis, vel etiā quoad culpam, vel mediate tantum, & per modum imperationis boni motus: scilicet, contritionis, qua tollatur peccatum mortale, vel immediate quidem & ex opere operato, non tamen per se, sed ex accidente, vt postea exponemus. Deniq; hoc sacramentum dicitur esse medicina contra peccata, quia adiuuat, & præseruat, ne committantur. Quibus modis D. Tho. hic, art. 3. ad 1. explicat illam orationem Ecclesiæ: Sit absolutio scelerum.

Vnde ad quartum respondetur, hoc sacramentum posse quidem dici medicinam & pharmacum, vel leuioribus morbis curans, vel præseruans à grauioribus, vel imbecillitate ex eis relicta, aut alios defectus expellens. Non oportuit autem, vt etiam esset medicina instituta ad remittendum mortale peccatū: quia & decuit illud supponi absolute & simpliciter remissum, & esse alia remedia necessaria ac per se sufficientia ad illum effectum. Vnde, licet in Christo secundū se sit virtus ad omnes illos effectus, noluit tamen per se ipsum, quatenus est sub hoc sacramento, applicari, nisi ad affectus institutioni huius sacramenti consentaneos.

Dico tertio: Interdum hoc sacramentum conferre gratiam primam, & peccatū mortale delet. Hæc est sententia D. Thom. hic, & q. 80. art. 4. ad 2. & in 4. dist. 9. q. 1. art. 3. quæ est tunc. 2. & d. 12. q. 1. art. 3. Palud. d. 9. qu. 1. nu. 14. Richard. art. 2. q. 1. & d. 12. art. 5. qu. 1. Indicat Scotus, d. 9. q. vnica Alenf. qu. 46. memb. 3. art. 2. in fin. dicit n. Quandoque gratia collata in hoc sacramento vnit non vnitum, quæ verba probat Gabr. lect. 8. in Can. in eandem sententiam inclinat lect. 87. Teneat et Anton. 3. part. tit. 14. c. 12. §. 6. Syluest. ver. Eucharistia Victoria in Summa, num. 76. Vega. lib. 9. in Trid. ca. 34. Claud. repet. 6. cap. 10. Bellarm. lib. 4. Petr. Soto lect. 12. de Eucharist. Iansen. in Concor. Euange. c. 131. Palac. in 4. d. 9. disp. 4. Ledesm. hic qu. 20. art. 3. & plures alii, quos in sccl. sequenti referam. Et possunt in fauorem huius sententiæ referri omnia, quæ ex Pa-

tribus attulimus in obiectionibus factis contra præcedentem assertionem: quia, licet hoc sacramentum non sit per se primo institutum ad remittenda peccata mortalia, tamē propter excellentiam rei, quam in se continet, verisimile est, posse etiam viuificare mortuos, quando illi non omnino obstitunt spirituali vitæ, sicut caro Christi tactu suo mortuos viuificabat: hoc enim exemplo ad hæc rem vitur Cyrill. li. 4. in Ioan. ca. 14. & in eodem sensu possunt accommodari reliqua dicta Patrum. Ratio vero sumi potest primo: generali ratione sacramenti nouæ legis: definiunt enim Concilia, omnia hæc sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem, ergo per se, & ex vi generica sacramenti nouæ legis conuenit omnibus sacramentis nouæ legis, vt faciant ex attrito contritum, quia omnia sunt instituta ad conferendam gratiam. Sed hoc fundamentum valde infirmum mihi videtur: quia sacramenta hæc non habent vim conferendi gratiam, nisi ex Christi institutione: Christus autem non fecit aliquam institutionem sacramenti in communi, sed singularum specierum, scilicet, Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & aliorum: ergo conferre gratiam non conuenit singulis sacramentis ratione generis, sed ratione suæ speciei, & propriæ institutionis, quia verò singula instituta sunt ad aliquam gratiam conferendam, inde fit, quod conferre gratiam omnibus commune sit, eo modo quo gratia abstrahit à prima vel secunda, prout loquitur D. Tho. hic, art. 1. eodem enim sensu loquuntur Concilia, cum dicunt, sacramenta nouæ legis conferre gratiam. Quocirca non existimo (quidquid alii dicant) posse conclusionem hanc certo fundamento probari, nam sine vlla dubitatione res pendet ex Christi voluntate & institutione, quæ in hac parte nõ est nobis manifestata certa aliqua autoritate, neque ex reuelatis potest certa ratione colligi. Solum ergo est coniectura, quia, cum ipse instituerit sacramenta, vt sint organa, per quæ illius merita nobis applicentur, & gratia conferatur, verisimile est, etiam instituisse, vt eam conferant omnibus, qui impedimentum non ponunt & sunt dispositi ad illam suscipiendam: fieri autem potest, vt aliquis carens gratia, accedat bona fide, & cū sufficiente dispositione ad gratiam: ergo probabilius est, eum consequi gratiam in sacramenti susceptione. Huic autem generali rationi, quæ communis est omnibus sacramentis, adiungi potest alia supra indicata ex propria ratione huius sacramenti, in quo Christus ipse continetur, qui est fons vitæ, & ideo verisimile est, habere efficaciam ad vitam spiritualem conferendam, saltem quando homo non est omnino indispositus, & bona fide accedit, vt iam explicabimus.

Contra hanc vero conclusionem sentiunt multi & graues Theologi, Gabr. in 4. d. 9. qu. 2. art. 2. cont. 1. Indicat ibi Bonauent. ar. 2. q. 3. vbi dicit, eum, qui accedit digne secundum probabilem existimationem, non peccare, neque gratiam consequi. Idem sentit d. 12. art. 4. q. 2. Idem Alenf. qu. 41. memb. 3. & art. 2. ad vltim. qui tamen dicit, licet tunc sacramentum non conferat gratiam, pie credi posse, Deum illam conferre, vel donū aliquod, quo homo se ad illam præparet. In eadem opinione est Maior d. 9. q. 1. qui non solum ait eum, qui sine gratia accedit ad hoc sacramentum, non consequi illam, sed etiam semper peccare mortaliter. Sed hoc posterius est falsum, & improbabile, de quo sectione sequente dicam. Hi vero authores fundantur, vel in generali ratione sacramentorum omnium, quia existimant, nullum facere hominem ex attrito contritum: quia peccatum remitti non potest sine vera contritione, vel certe, quia putant hoc non facere, nisi ea sacramenta, quæ dicuntur mortuorum, alia enim, cum hæc vim non habeant ex propria institutione, non est vnde talent efficaciam habeant. Sed primum est omnino falsum,

Cyri.

Oppositum multo place- re ostendit Gab. Bonas. Alenf.

Maior.



vt constat ex dictis de Baptismo, de Poenitentia vero suo loco dicitur. Secundum vero solum probat, sacramenta viuorum per se, & iuxta propriam dispositionem, quam secundum propriam institutionem requirunt, hoc non facere, vt latius diximus, agētes de sacramentis in genere, quocirca vtrumq; in sua institutione includunt, & quod per se hoc non efficiant, neq; ad hunc finem suscipiantur, & quod ex accidente id possint prestare, intercedente bona fide, aut aliqua dispositione sufficere. Tertio vero obicit potest ratio fundata in propria natura huius sacramenti, quia cibus nunq; resuscitat mortuum, neq; per se, neque per accidens. Respondetur tamen, id verum esse de cibo materiali, qui conuertitur in substantiam aliti: fecus vero esse de illo, qui aliti in se conuertet hominem & mortuum, si alioqui non resitat, nec obicem ponat; praesertim, cum non sit ita mortuus, quin possit aliquem actum vitae exercere, & manducare cibum, non tantum corporaliter & materialiter sed etiam aliquo modo spiritualiter, suscipiendo illum fide, reuerentia, & dispositione debita.

SECTIO II.

Quam dispositionem requirat hoc sacramentum in suscipiente, vt primam gratiam conferat.

Lutheri  
haeretic.

**I**n hac re haereticus dicunt, nullam esse necessariam dispositionem, nisi fidem; imo addit Lutherus, neminem esse melius dispositum ad suscipiendum hoc sacramentum, quam qui habet conscientiam peccatis grauata ac perturbata, dummodo credat sibi non imputari peccata per Christum, quam fidem dicunt ipsi, excitare hoc sacramentum, & hunc solum esse effectum eius. Sed mislum faciam hunc errorem, quia alius in locis magis propriis impugnatus est supra in tractatu de sacramentis in genere, & in materia de iustificatione, videri etiam possunt Bellarminus libro 4. de hoc myster. cap. 17. Claud. repet. 10. c. 2. & quae dicemus, etiam sufficient ad eiusdem erroris improbationem. Inter Catholicos ergo est prima sententia affirmans, eum, qui bona fide accedit sine actuali conscientia peccati mortalis, imo probabiliter existimans se accedere in gratia, ex ignorantia inculpabili, per hoc sacramentum iustificari, etiam si nullam aliam dispositionem habeat. Ita sentit Dur. d. 9. q. 4. Palud. q. 2. Antonin. 3. p. titu. 12. c. 6. §. 7. Fundamentum esse potest, quia sacramenta dat gratiam non ponentibus obicem; sed ille, qui sic accedit, non ponit obicem, cum non peccet sic accedendo. ergo iustificatur; possuntq; pro hac sententia citari Soto d. 11. q. 1. ar. 4. & Ledef. hic, & Cache. 1. ad Cor. 11. quatenus non agnoscunt in hoc sacramentum accessum medium absque peccato, vel gratia sed existimant, omnem eum, qui non peccat mortaliter, cum sumit hoc sacramentum, iustificari. Maior etiam dist. 9. quaestione 1. alia via negat statum medium; quia vel is (inquit) qui accedit ad hoc sacramentum, facit quod in se est, vt accedat in gratia, & sic iustificatur ante sacramenti usum, & accedit iustus: vel non facit quod in se est, & sic peccat mortaliter, accedendo.

2. Opinio.

Secunda opinio dicit, ad consequendam primam gratiam in hoc sacramentum, sufficere attritionem, etiam si homo habeat conscientiam peccati mortalis non remissi. Cuius sententiae fundamentum potest duobus modis explicari. Primo, quod hoc sacramentum sit per se institutum ad remissionem peccati mortalis, simul cum sacramento Poenitentiae, vel Baptismi, seruato hoc ordine, vt Baptismus praecedat, vel etiam Poenitentia, si peccatum mortale est post Baptismum commissum: ita tamen, vt effectus tribuatur ex voto huius sacramenti. Vnde sit, si contingat, alterum illorum sacramentorum non conferre primam gratiam, per hoc dari posse, etiam si homini constet prior defectus, dummodo de peccato

doleat, scilicet vera attritione. Sed hoc fundamentum in primis non potest habere locum respectu Baptismi, quia, si quis non est baptizatus, non est capax effectus huius sacramenti, vt supra dixi; si autem est baptizatus, vel in Baptismo est iustificatus, & ita non habet locum quaestio, respectu eorum peccatorum, quae antea commisit, vel non iustificatur in Baptismo, & tunc vel peccauit in ipsa fictione, aut postea, & sic iam est in statu, quo indiget sacramento poenitentiae; iuxta supra tradita de Baptismo, vel solum habet peccata ante Baptismum commissa, & tunc si de illis doleat per attritionem, etiam cognitam, iustificabitur ante susceptionem Eucharistiae ex vi prioris Baptismi: ergo respectu Baptismi, praesente nunquam potest dari casus, in quo Eucharistia deleat peccata, quae per Baptismum delenda fuere cum sola attritione cognita. Atque idem discursus, proportionem seruata fieri potest in sacramento poenitentiae, si in re ipsa prius susceptum sit, quam Eucharistia, & post illud nullum nouum peccatum mortale commissum sit. Solum ergo potest hoc habere locum in eo casu, in quo aliquis habet conscientiam peccati mortalis, & confiteri non valet: & adhuc in eo casu praedictum fundamentum valde improbabile est, quia supra satis demonstratum est, hoc sacramentum non esse per se institutum ad remittenda peccata mortalia. Aliter ergo fundatur haec opinio, quia, vel attritio est sufficiens dispositio, vt homo iustificetur per hoc sacramentum, vel non: si non, etiam si existimaret contritio, non sequitur effectus: quia ea existimatio non auget dispositionem: & ita hoc sacramentum nunquam conferret primam gratiam, si autem attritio est sufficiens dispositio, etiam si cognita sit, sufficit: quia falsa existimatio non conferat ad effectum sacramenti. Dices, teneri hominem ad accedendum cum contritione: & ideo necesse est, vt facte existimet impleuisse se hoc praecipuum, nec aliunde ponat obicem gratiae. Sed contra, nam in primis nihil constat de tali praecipuo: quia, licet confessio praecipua sit ante communionem, tamen, eum, qui non potest confiteri, teneri conteri, nullibi praecipuum est. Deinde nec videtur necessarium, quia, si demus hominem iustificari cum sola attritione, & sacramento, quando consummatur visus sacramenti, iam est iustus, & ita non facit irreuerentiam sacramento: ergo ex sola natura rei, & dignitate sacramenti non potest colligi, quod sit maior dispositio sub praecipuo, sed neque de speciali praecipuo positio constat: ergo. Et confirmatur: nam praecipuum praemitteudi confessionem ante communionem diuinum est: & tamen in eo casu, in quo id fieri non posset, non est illa dispositio necessaria ad effectum sacramenti: ergo, etiam de mus contritionem esse praecipua, si tamen quis non possit habere illam, propter vehementem aliquam passionem, vel paruum habitum, poterit excusari, & in illo erit attritio, sufficiens dispositio. Tandem demus, hominem ignorare inuincibiliter illud praecipuum, & bona fide accedere cum attritione cognita, probabiliter purantem id sibi licere, ille non peccat accedendo: ergo, si attritio alia est sufficiens dispositio, iustificatur.

Dico tamen primo, vt hoc sacramentum conferat primam gratiam, necessarium esse veram ac supernam poenitentialem attritionem peccati commissi. haec non facit contritio est ignorantia, seu obliuio inculpabilis peccati, si contritio reuera illud habet homo, & non detestatur illud nec fatetur illud, deest tamen imperfecto actu mere naturali, & ex hoc ex humano mortuo. Hae conclusio probata latius est supra in materia de Baptismo; nam, quae ibi diximus fortius & efficacius probant de hoc sacramento, quod non ita est institutum ad delendum peccatum sicut Baptismus. Et fundamentum breuiter est, quia poenitentia infusa de peccato commissio, & in re ipsa habita, etiam in lege gratiae, est medium simpliciter necessarium ad remissionem peccati mortalis, quae

his, quæ necessitas non est ablata per sacramentorum institutionem, sed potius hæc dispositio necessaria est, vt obex tollatur, hæc autem penitentia esse non potest, nisi vel contritio, vel supernaturalis attritio, quæ ex motiua supernaturali procedat, & in omnia peccata commissa cadat, quod fundamentum in materia de penitentia latius probandum est. Præterea his probatur, quæ de Baptismo diximus.

*Requiritur*  
*contra bonam*  
*fidem quæ par-*  
*te accedens*  
*proxi in gra-*  
*na.*

Dico secundo, vt hoc sacramentum conferat primam gratiam, non satis est prædicta attritio, nisi accedat simul bona fides, quæ per se loquendo, in hoc consistit, vt quis ignoret statum suum, & existimet se in gratia accedere, ac denique non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet sufficientem se penitentiam egisse. Hanc conclusionem existimo certam, contrariam vero, neque esse probabilem, neque sine temeritate posse affirmari. Primo enim omnes Theologi ita docent, & neminem ex scriptoribus legi, qui contrarium doceret. Id patet ex Diuo Thomæ, hic articulo. 3. vbi hoc explicatum est, & ex Aleui. Bonauent. Gabr. locis citatis in fine præcedentis sectionis, qui à fortiori hoc docent, cum requirant contritionem. Authores item citati hic in prima sententia magis requirunt hanc bonam fidem, quam ipsam attritionem. Omnes denique, qui dicunt, hoc sacramentum interdum conferre primam gratiam, hanc primam conditionem requirunt, vt videre est in supra citatis, & in Adriano questione 1. de Eucharistia. Caietan. hic, Gabr. lect. 85. in Canon. Soto distin. 12. qu. 1. artic. 4. qui dicit, hanc esse D. Thomæ sententiam, & omnium. Patres etiam omnes hanc primam conditionem requirunt, vt quis digne accedat ad hoc sacramentum, & tunc maxime explicant, hominem indigne accedere, cum accedit cum conscientia peccati mortalis. Vnde concluditur ratio in hunc modum. Qui indigne sumit Eucharistiam, non iustificatur: sed qui sumit cum sola attritione cognita, indigne sumit: ergo non iustificatur. Maior est de fide ex illo. ad Corinth. 11. Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans, &c. Minor colligitur ex eodem loco. ad Corinth. 11. Probet autem se ipsum homo: vbi non agit de probatione fidei, sed probatione morum, vt conlat ex contextu. Alius quidem estur, alius autem ebrius est, vbi non infidelitatem, sed vitia reprehendit. Et hæc est expositio omnium Sanctorum: omnes enim vt etiam Concilium Tridentinum notauit (colligunt ex hoc loco, debere hominem, priusquam accedat ad hoc sacramentum, examinare suam conscientiam, vt puro corde (sicut Chrysostronus dixit homilia 51. in Mattheum) accedat. Et ita etiam exponunt idem Chrysostr. Theodor. & omnes expositores ibi. Idem colligitur ex eodem Chrysostr. hom. 83. in Mattheum. Addeat nullus crudelis, nullus immisericos, nullus impurus quouis modo: & in. Demoniaco peior est, qui peccati sibi conscius accedit: & ibidem sic loquitur ad Sacerdotes. Non parua vobis imminet pena, si quæ aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittat: quanto ergo magis delinquet is, qui non alii permittit, sed ipsemet accedit e tali conscientia? Similia habet idem Chrysostr. hom. 45. in Io. Si purè accesseris, ad salutem accessisti, si in praua conscientia, ad penam & supplicium. Idem late & eleganter in 1. ad Cor. homil. 21. & 60. ad populum Damasci. 4. c. 14. Summo cum metu & pura conscientia. Bas. ser. de Bapt. p. 2. Purus ab omni inquinamento carnis & spiritus: & li. 2. c. 3. & in reg. comp. expl. in 172. Cyr. li. 3. in Io. c. 37. Oportet omnibus viribus à peccato mundari, & recte viuendi factis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Iust. Apo. 2. in fine. Dion. c. 3. de Eccl. Hier. p. 3. in principio, & fine. Orig. Mat. 15. circa id. Non quod intrat per eos, Aug. ser. 1. de tem. & li. de Ecclesiast. dog. c. 53. & tra. 26. in Ioan. Innocentium ad altare portare Amb. li. 6. in Luc. cap. 9. Nemo cibum accipit Christi,

nisi qui fuerit antea sanatus: & illi, qui vocantur ad cenam prius uocatione sanantur: & inf. Vbi igitur mysterij ordo seruatur, vt prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ celestis exhibeatur. Et lib. 7. in c. 15. Luca, ponderat in parabola de filio prodigo, prius patrem dedisse filio solâ gratiam, postea epulas vituli laginati illum introduxisset, vt carnem Domini spirituali opimam virtute per gratiâ sacramenti mysteriorum confortio restitutus epuletur. Nemo enim nisi timet Deum nisi signaculi spirituale custodierit, vel receperit, sacramentis debet interesse celestibus. Quæ videtur Amb. mutua esse ex Tert. l. de Pudic. c. 9. vbi circa eandem parabolâ sic loquitur. Recordatur patris Dei, ad eum redit, velle prius gratiam recipi, statum scilicet, eum, quem Adam erant grellus amiserat, annulum quoque accipit, quo fidei pactum interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dñici corporis vescitur. Greg. lin. 1. Reg. c. 1. circa illa verba, Repleti prius pro panibus se locauerunt. Salutem (inquit) non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, quæ ea, quibus se repleuerant, flagitia portant in mente, & inf. ponderans dicta verba Pauli: Probet autem se ipsum homo. Quid est (inquit) hoc loco se probare nisi, euacuata peccatorum nequitia, se probatum ad Dominicam mensam, & purum exhibere? Idem fere Hef. 7. in Leu. c. 16. Ac denique Cyp. l. 3. Ep. 14. explicans: quod sit indigne sumere, inquit: Id est, nondum penitentia acta, nondum facta exomologesi, idem Epist. 15. & 16. & li. de lapsis.

*Timid.*

*Hesych.*  
*Cyp.*

Ex quibus omnibus constat, iuxta communem Patrum doctrinam, debere hominem, vt digne accedat ad hoc sacramentum, purum à peccato mortali accedere: ergo, quod cognoscit, se esse in peccato mortali indigne accedit, & consequenter non recipit effectum sacramenti. Nec possumus hi Patres exponi, vt loquatur de eo, quod non solum se agnoscit in peccato, sed et permanet in affectu peccati, quia, vt probauit exponendo ar. D. Th. non dicitur aliquis habere conscientiam peccati mortalis solum: quando est in affectu peccati mortalis, & in eo statu permanet: sicut et docent SS. & Theologi, peccare mortaliter Sacerdotem, qui cū conscientia peccati mortalis ministrat sacramentum quod non potest intelligi de eo, qui est in affectu peccati: alias, qui ministraret sacramentum in statu peccati cum attritione cognita, non peccaret mortaliter quod absurdissimum est. Deinde, quia requirunt hominem purum, & mundum: & in statu gratiæ, vt ex eorum verbis satis constat, & plura ad hoc probandum afferemus infra agentes de præcepto.

Tertio hoc ipsum probatur ex generali ratione illorum sacramentorum, quæ dicuntur sacramenta viuorum, & ad peccatum mortale tollendum per se non ordinantur; omnia enim illa requirunt, vt homo in gratia accedat ad sacramentum, vt supra suo loco probatum est, quia sancta sancte tractanda sunt si enim ad dandum sacramentum requiritur gratia in ministrante, cur non magis in suscipiente quando tale sacramentum iustitutum non est, vt mortuos viuificet? Et confirmatur, quia alias ad omnia sacramenta liceret accedere cum attritione cognita, & omnia iustificarent hominem sic accedentem: consequens inauditum est, & absurdissimum, nam in re morali & graui magnam licentiam præbet hominibus sine fundamento, & præter naturam & institutionem talium sacramentorum, cum enim hoc ex voluntate Christi pendeat, & nulla autoritate probari possit, hanc fuisse eius voluntatem, & ex hæc proprio talium sacramentorum hoc colligi non possit, neque ex reuerentia, quæ sacramentis, & rebus sacris debetur, valde temere dicitur, hoc esse licitum, vel fructuosum, si ergo hoc generaliter de omnibus affirmari non potest: neque de hoc in particula poterit, cum sit etiam sacramentum viuorum, & sanctius reliquis. Vnde argumentor quarto ex propria ratione huius sacramenti: ostensum enim est, hoc sacramentum

mentum non esse per se institutum ad delendum mortale peccatum, sed ad nutriendum charitatem: ergo contra rationem propriam huius sacramenti est, quod recipiatur, ut deleat peccatum, & primam charitatem conferat, per se, & ex directa intentione recipientis: ergo similiter est contra rationem huius sacramenti, & contra dispositionem ei debitam, ut recipiatur in statu peccati mortalis, & cum conscientia eius. Quod etiam confirmat ratio supra facta, scilicet, cibum natura sua præsupponere vitam, quam possit nutrire & augere: hoc autem sacramentum institutum est per modum cibi ad animam nutriendam: ergo ex ratione suæ institutionis præsupponere debet spirituale vitam, quæ est per gratiam & charitatem: ergo accedere ad hoc sacramentum ex certa scientia sine gratia & charitate, est graue peccatum directe pugnantem cum fine & institutione eius. Adde vltimo, esse etiam contra dignitatem tanti sacramenti, ad quod digne suscipiendum angelica puritas merito posset requiri: ergo mirum non est, quod ab homine peccatore exigatur, ut, quod in se est, faciat, ut in gratia & absque peccato accedat, & hac ratione, ut infra videbimus, præcipitur huiusmodi peccatori, ut, si potest, confessionem præmittat: scilicet, ut prius se ad gratiam disponat via & modo certiori; ergo multo magis eidem præcipitur, ut quando confiteri non potest alia via, scilicet, per contritionem, in statu gratiæ constitui procuret; ergo quando sciens & videns, hoc non implet, indigne accedit, & obicem ponit, & effectum sacramenti recipere non potest.

Ex his infero, posse interdum dari statum medium in recipiente hoc sacramentum, id est, ut in ipsa receptione, nec mortaliter peccet, nec fructum gratiæ consequatur, quod recte docuerunt Bonauen. Gabr. Marfil. Adrian. & Caiet. locis citatis. Patet, quia potest homo existens in peccato mortali accedere ad hoc sacramentum recipiendum, non solum sine contritione, sed etiam sine vera attritione absque noua culpa: ergo in illo dabitur prædictus medius status: quia, nec peccat mortaliter, ut supponitur, nec recipit gratiam: quia nullam habet sufficientem dispositionem iuxta dicta in prima conclusione. Antecedens patet primo, si fingamus aliquem accedere cum probabili aut inculpabili existimatione contritionis, qui non solum contritus non sit, verum etiam nec supernaturaliter attritus: hoc enim impossibile non est. Deinde accedere etiam potest, ut aliquis sit naturaliter oblitus mortalis peccati prius commissi, vel quod ex naturali inaduerentia non existimet, se esse in malo statu, sed bona fide accedat: aut etiam contingere potest, ut credat esse veniale peccatum, quod reuera, fuit mortale; nam, licet aliqui ex dictis autoribus significent, illam ignorantiam non posse esse ita inuincibilem, ut excuset, & regulariter fortasse ita sit, maxime quando illa ignorantia est iuris: nihilominus absolute non repugnat, interdum hanc ignorantiam excusare: tum, quia potest esse ignorantia facti proueniens ex naturali obliuione, ut, verbi gratia, qui existimat iurasse verum sine necessitate, & tamen iurauit falsum sine sufficiente negligentia, de qua postea naturaliter non cogitat: Tum etiam, quia sæpe accidit, ut ignorantia, quæ respectu vnius actus immediate ab ea procedentis non excusat, respectu alterius actus remote seu mediate resultantis excuset, vel potius sit sufficiens excusationis occasio: quia trausacta priori culpa, commissa ex tali ignorantia, iam homo facile obliuiscitur, aut non aduertit ad præcedentem culpam, vel effectus eius: ita ergo potest facile in præsentem accedere. Tandem, alius casus excogitari potest, in quo accidat hic medius accessus, scilicet, si aliquis ex ignorantia probabili putet se non peccare, accedendo ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sine affectu eius, vel etiam cum attritione illius, quam se habere existimat probabi-

liter, cum tamen in re illam non habeat: hic enim & à culpa excusaretur propter ignorantiam, & effectum priuaretur propter dispositionis defectum. Addit vero Gabr. lect. 8. in Canon. citans Durandum in 4. distinct. 10. qu. 10. quæ non extat, & Gerson. tract. de poll. not. conl. 2. in prædictis casibus, præsertim, qui ex obliuione prouenire possunt, virtute sacramenti fieri, ut homo veniat in cognitionem, seu memoriam peccatorum, ut sic possit ad gratiam disponi. Sed hoc non habet fundamentum, quia nullibi est promissio talis cognitionis, vel memoriæ: nec talis effectus deservire potest ad fructum gratiæ per sacramentum suscipiendum: quia, vel illa memoria peccati datur ante sacramentum susceptum, & sic iam non datur, ratione sacramenti, vel post sacramentum susceptum, & sic iam non deseruiet ad fructum gratiæ suscipiendum. Dices, dari in ipso instante, in quo finitur susceptio sacramenti, seu in quo danda esset oratio, si homo esset dispositus. Sed hoc in primis non est satis, ut ipsa susceptio sacramenti fiat cum debita dispositione: quia in eo instante iam est finita communio, & deinde non est mortale, vti eo instante peccato reuocatur in memoriam & debita dispositio itam concipitur, & experientia ipsa docet, non ita fieri: alioquin, quoties homo bona fide actuali accedit, adhibita morali diligentia, ut peccatorum suorum recorderetur, si neque tunc, neque in ipsa communione, neque post illam, talia peccata in memoriam veniant, poterit esse securus & certus, quod nulla habeat peccata, & quorum non habuerit sufficientem dolorem, quod tamen falsum est.

Sed quares, an in eo statu medio homo accedat digne, vel indigne, nam si indigne, peccat: si digne, non carebit gratia. Similis interrogatio est, an ponat obicem, vel non ponat, nam si ponit, peccat, si non ponit, consequitur effectum. Item, Maior interrogatio, vel facit, quod in se est, quantum probabiliter existimat, se debere facere, & sic iustificabitur: vel non facit, & sic non excusabitur à peccato, quia talis ignorantia non potest dici inuincibilis. Respondetur, huiusmodi hominem in re accedere indigne, & ideo non consequi effectum, tamen in existimatione sua accedere digne, & ideo excusari à peccato. Similiter dicitur, in re ipsa ponere, vel potius non tollere obicem, scilicet, peccatum commissum, nullo modo detestatum, & ideo non consequi effectum, tamen in existimatione sua probabili non ponere obicem. Similiter dicitur, in re ipsa ponere, vel potius non tollere obicem, quod in se est, quamuis probabiliter eximet facere, & ideo, licet excusetur à nouo peccato, non tamen iustificatur: quia ad hoc non satis est probabilis existimatio mediæ necessarii, nisi re ipsa tale medium vere applicetur, prout potest, ac necessarium est. Et per hæc responsum est ad fundamentum primæ opinionis.

Ad fundamentum secundæ opinionis respondetur, attritionem quidem de se esse sufficientem dispositionem ad effectum sacramenti suscipiendum, sed per se tamen non esse sufficientem dispositionem ad dignum usum huius sacramenti, & ideo, probabiliter existimationem contritionis posse conferre ad excusandam culpam & obicem indignæ sumptionis. Unde autem constat, necessarium esse statum gratiæ ad dignam sumptionem huius sacramenti, iam declaratum est, & plura dicemus infra agentes de præceptis huius sacramenti. Nec coniectura ibi adducta est aliter eius momenti, quia ipsa institutio & ratio huius sacramenti postulat, ut iustificatio supponatur, & non expectetur per ipsum sacramentum. Casus autem ille qui in confirmatione ponitur, de homine qui contritionem habere non possit, admittendus non est, quia semper est in potestate hominis de peccatis committeri cum diuina gratia. Unde, si ex sua malitia, vel fragilitate, non vult conari ad contritionem habendam, potius debet à communione abstinere, quam sic accedere. Ad vltimum vero casum de homine, qui

Potesť quis  
in Eucharistia  
susceprio-  
ne, nec mor-  
taliter pecca-  
re, nec gratia  
consequi.

qui probabili fide & ignorantia putat sufficere ad dignam sumptionem a contritionem cognitam, dicendum est reuera, consecutum primam gratiam per hoc sacramentum: quia illa ignorantia etiam excusat a peccato, & obice indignae sumptionis, dictum est autem, contritionem esse sufficientem dispositionem ad effectum sacramenti, quacumque ratione aliunde obex non ponatur. hoc tamen est per accidens ratione ignorantiae, iuris, & ideo in secunda conclusione addidi particulam (per se) ad excludendam hanc ignorantiam quae dicitur possit illa attritio aequaliter attritione existimata contritioni, quia existimatur sufficiens dispositio tam ad gratiam, quam ad dignum usum sacramenti.

SECTIO III.

Quae dispositio necessaria sit ad augmentum gratiae per Eucharistiam consequendum.

Ex dictis in praecedenti sectione constat, in primis necessariam esse habituales gratiae dispositionem, ut hoc sacramentum conferat interioris gratiae effectum: & ex ipsa constat, non posse habituales gratiam augeri nisi existere supponatur. Sicut autem, quilibet gratia, quantumvis minima, efficit hominem simpliciter iustum, & augeri potest, ita quilibet in hoc genere sufficit, ut hoc sacramentum suum effectum conferre possit. Quamquam de facto, ut minimum, requiritur gratia baptismalis, vel qualis in principio infunditur, vel saltem qualis per penitentiam reparari potest. Nihil autem obstat, quod haec gratia coniuncta sit cum virtutum habitibus, aut cum venialibus culpis habitibus, aut cum quocumque temporalis poenae reatu: quia haec omnia non impediunt, quo minus homo vere uiuat spirituali uita & in ea nutriat & augeri possit. De hac ergo dispositione habituali nihil superest dicendum, sed quaestio superest de actuali: an scilicet, aliqua necessaria sit, ut per Eucharistiam gratia augeatur. Potest autem esse quaestio de duplici dispositione: unam vocare possumus priuatiuam, quae est carentia omnis venialis culpa: alteram positiuam quae fit aliquis actus deuotionis seu honoris.

Prima itaque sententia est, ut Eucharistia suum proprium effectum conferat, necessarium esse positiuam dispositionem actualis deuotionis, quae simul adit in ipsa sumptione: carentiam autem venialis peccati non esse per se necessariam, sed solum quatenus tale peccatum, actualem deuotionem impedire potest. Ita sentit D. Thom. in 4. d. 12. qu. 2. art. 1. quaestio 3. Alenf. 4. p. q. 4. membr. 3. ar. 2. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 8. Bonau. d. 12. ar. 2. q. 1. Durand. q. 4. ad 2. Palud. qu. 1. ar. 2. & d. 4. q. 7. Syluest. verb. Euchar. in fine. Caiet. hic, & Petrus Soto lect. 12. de Euchar. Fundamentum huius opinionis non potest sumi ex sola natura rei: nam, cum tractemus de effectu ex opere operato, constat ex natura rei non pendere ex merito operantis, neque ex actu eius, nisi quatenus necessarius esse potest ad tollendum obicem peccati: petendum ergo est ex Christi uoluntate & institutione, quae fundari in primis potest in Sanctorum locutionibus: ubi cumque enim de hoc sacramentum loquuntur, magna deuotionem requirunt, ut patet ex Basil. lib. 1. de Baptis. c. vlt. & in reg. bre. in 172. & ex aliis statim citandis. Secundo potest ratione fundari, tum in dignitate & maiestate tanti sacramenti, quod, cum sit inuicem excellentiae, merito ab homine postulat actualem reuerentiam, cum ad illud sumendum accedit: tum in fine eiusdem sacramenti, qui est nutritio charitatis, ratione cuius non solum habitum, sed exercitium eius requirit: quia amicitia multis actibus maxime fouetur & crescit: tum denique in materia & modo, quo sacramentum hoc applicatur ad usum, scilicet, per modum nutrimenti: cibus enim non nutrit, nisi medio actu ipsius uiuentis: ergo, ut hoc sacramentum spiritaliter nutriat, congruum est, ut aliquis actus

summentis concurrat. Tertio argumentatur Caiet. ab effectu: quia multi Sacerdotes in statu gratiae quotidie communicant, quos necesse est, magnum cumulum gratiae, & charitatis comparare, si nihil aliud ad effectum huiusmodi esset necessarium: at uero experientia fere constat, eos non consequi tale charitatis augmentum: quia, si illud haberent, darent aliquod iudicium eius: aut aliquo modo in uirtute proficerent: quia charitas non est otiosa, ubi est: ergo.

Secunda sententia extreme contraria est, ut Eucharistia conferat suum proprium effectum necessarium per se esse, ut homo in ipsa, seu cum ipsa sumptione sacramenti actualiter non peccet, etiam uenialiter: non uero esse necessariam aliam dispositionem actualem positiuam; nisi quatenus necessaria esse potest ad actuale peccatum ueniale uitandum: nam, si quis uoluntarie accedat distractus, aut sine uilo bono motu seu dispositione, non potest ab aliqua ueniali culpa irreuerentiae excusari: & hac ratione poterit effectus impediri. Ita Marsi. in 4. qu. 6. art. 4. circa finem. Fundari potest, quia alias fieri posset, ut homo simul cresceret in gratia & uenialiter peccaret: imo, ut per ipsum actum uenialis peccati in gratia cresceret; nam ipsemet actus sumendi sacramentum potest esse ueniale peccatum ex defectu finis, vel alterius circumstantiae debita: quae ratio communis est omnibus sacramentis. Secundo, potest ad hanc sententiam applicari fere totum fundamentum primae sententiae, seruata proportione. Tertio, uideatur huic sententiae fauere Aug. de Eccl. dogm. c. 53. & extra. 26. in Ioan.

Ex his posset tertia opinio elici, affirmans, utriusque esse directe & per se necessariam ad augmentum sacramenti, scilicet, carentiam omnis actualis peccati, & actualem deuotionem. Quam sententiam non inuenio apud ullum auctorem. Posset tamen fundari rationibus utriusque sententiae simul applicatis, quae non solum inter se non repugnant, uerum potius eandem vim, & proportionalem efficaciam habent: ita ut, si unum illorum propter eas rationes affirmandum sit, consequenter etiam alterum asserendum uideatur.

Quarta nihilominus & uera sententia est, neutra harum dispositionum esse per se necessariam ad augmentum gratiae per Eucharistiam sumptionem consequendam. Quae sigillatim & per partes probanda est.

Dica ergo primo: Peccatum ueniale actu concomitans sumptionem huius sacramenti, non impedit gratiae & charitatis augmentum. Ita D. Thomas hic, art. 8. Alenf. dicta quae. 41. membr. 1. ar. 1. ubi dicit, hoc sacramentum, non quidem remittere illud peccatum ueniale, cuius actualem affectum homo habet, dum d. Thom. communicat: remittere autem alia uenialia peccata non obstante illo affectu: eadem autem ratio est de augmento gratiae, quae de remissione aliorum uenialium. Eandem assertionem tenet Gabr. lect. 8. 5. in Canon. Adrian. quaest. 1. de Euchar. Soto d. 12. quae. 2. art. 8. Ledesma qu. 20. articulo 1. dub. 4. & articulo 8. Victor. in Summ. numer. 66. Cordub. libr. 1. quaestio. Theolo. quaestio. 8. Et potest utriusque confirmari ex Conc. Trident. sess. 13. cap. 7. ubi ad effectum huius sacramenti solum requirit poenitentiam & confessionem peccati mortalis: & ita explicat uerba Pauli. ad Corinth. 11. Prober autem seipsum homo. Ratio est, quia, uel is, qui accedit ad hoc sacramentum in gratia cum peccato ueniali, digne accedit, uel indigne. Si digne: ergo recipit effectum sacramenti: quia iam non ponit obicem. Si indigne: ergo iam non tantum uenialiter, sed etiam mortaliter peccat, quando ita suscipit sacramentum. Dicitur fortasse, illum accedere digne habitualiter, indigne autem actualiter per culpam tantum uenialem: & hoc satis esse, ut gratiam non accipiat, & ponat obicem, etiam si de nouo mortaliter non peccet: quia, licet se ipsum priuet aliquo augmento gratiae, nec Sacramento, neque alicuius gratiam

2. Sententia.

Marsi.

Aug.

3. Sententia.

4. Sententia.

Veniale peccatum actu concomitans sumptionem Eucharistiae non impedit eius effectum.

Alenf. Gabr. Adrian. Soto. Ledes. Victor. Cord. Triu.

Ensh.

Refutatur.

grauem irrogat iniuriam. Sed hæc euasio refutatur primo, quia gratis & sine fundamento dicitur, peccatum veniale posse per se facere augmentum gratiæ, præstandum ab alia causa sufficiente & actualiter applicata: quia peccatum veniale hoc non habet ex se, & ex natura sua: neque specialiter hoc habet in hoc sacramento ex singulari institutione Christi. Primum patet, quia peccatum veniale in cæteris sacramentis hoc non impedit, vt omnes fatentur, neque in augmento ex opere operantis, si homo simul cum actu simpliciter bono & merito habeat concomitantem aliquam culpam venialem. Et ratio à priori est, quia peccatum veniale non pugnat cum gratia habituali, neque cum quocunque augmento eius in facto esse; ergo neque etiam in fieri, si aliunde possit simul applicari causa sufficiens. Peccatum enim mortale ideo ex se est obex effectui gratiæ Sacramenti, quia ex natura sua non potest simul esse cum illa: ergo è contrario; si peccatum veniale ex natura sua simul esse potest cum quocunque augmento gratiæ habitualis, ex se non erit obex respectu talis effectus. Secundum autem id est, quod hoc non habeat in hoc sacramento ex speciali Christi institutione, probatur: tum, quia nullo fundamento constat de tali institutione, neque ex Scriptura, neque ex Patribus: & ideo non est asserendum sine sufficiente fundamento aliquid extraordinarium & nouum in re tã graui tum etiam, quia talis institutio non fuisset conueniens, neq; fragilitati hominum accommodata, veniale enim peccatum leuis res est, & facile ab homine committitur; & ideo non est verisimile, voluisse Christum, vt tantum fructum huius sacramenti impediatur. Secundum, si peccatum veniale esset obex, magis certe consequenter diceretur, accedere ad hoc sacramento cum tali dispositione, esse peccatum mortale & indignam summptionem huius sacramenti; quia accipere sacramentum, ponendo obicem principali effectui sacramenti, est grauis irreuerentia, & abusus ipsius sacramenti.

Vnde posset aliquis aliter subterfugere principalem rationem factam, eligendo alteram partem, scilicet, eum, qui accedit cum veniali peccato indigne accedere, & mortaliter peccare: nihilominus tamen hoc totum tribui peccato veniali, quia illud est prima causa & totalis huius impedimenti, & grauioris lapsus, qui ex illo sequitur. Sed hoc in primis est contra mentem omnium authorum, qui de hac materia scriperunt: deinde est per se improbabile: nam inquiri, in quo consistat illud peccatum mortale: aut enim in hoc, quod ponitur obex effectui sacramenti: & hoc nõ: nam, vel talis obex est ipsum veniale peccatum, vel mortale: primum sufficienter improbatum est, secundum pugnat cum ipsa responsione, quia si peccatum mortale est obex, non ideo mortaliter peccatur, quia ponitur obex, sed potius ideo ponitur obex, quia mortaliter peccatur: oportet ergo aliam priorem rationem assignari, propter quam mortaliter peccatur, propter iniuriam, quæ fit sacramento, venialiter peccando, dum ipsum actualiter contingitur, & sumitur: Et hoc non, quia talis iniuria sacramenti leuis est, sicut peccatum ipsum veniale leue est: nam iniuria ipsius Dei potest esse leuis ex leuitate materiæ, ergo etiam iniuria sacramenti: accedere autem cum peccato veniali, leuis materia est: ergo solum peccatum veniale non potest esse ratio talis peccati mortalis: & consequenter impedire non potest augmentum gratiæ per hoc sacramentum conferendum. Vnde infero, idem dicendum esse, etiam si sumptio ipsa sacramenti peccaminiosa sit ex aliqua leui negligentia seu culpa: quia eodem modo tunc procedit dicta ratio, quod tale peccatum veniale nõ est obex repugnans effectui gratiæ: neque etiam potest tollere vim, & efficaciam ipsi sacramento seu vsui eius: quia licet ille actus, vt est ab homine, denominetur

malus, & vt sic non sit fructuosus ex merito operantis, tamen de se bonus est, & potest esse instrumentum Dei, seu in præfente materia] applicatio sacramenti quod semper est eiusdem sanctitatis, & efficacitatis ad dandum gratiam cuiuscunq; non ponenti obicem.

Dico secundo; Nulla actualis dispositio necessaria est, vt hoc sacramentum conferat augmentum gratiæ & charitatis. Ita sentiunt Viet. Soto, & alii recentiores, qui non putant hoc esse alienum à mente D. Tho. Et probatur, nam in primis, si homo sit profusus incapax talis actualis dispositionis, vt contingit in infantibus, amentibus; aut phreneticis, carentia talis dispositionis non potest in eis impedire hunc effectum: alias omnino irrationabile esset, eis dare hoc sacramentum. Quid enim magis contra rationem, quam dare sacramentum ei qui est incapax effectus eius? consequens autem omnino fallum est, vt præcedente disputatione ostendimus: & dicemus iterum cum Diuo Thoma, circa quaestionem 80. Vltimus igitur hinc addo, etiam si homo sit sui compos, & rationis vsum habeat, si tamen in ipsa actuali summptione sacramenti, quasi naturalem obliuionem patitur ex distractione omnino inuoluntaria: & ideo careat actuali dispositione, non propterea priuatur hoc fructu sacramenti: quia tunc non est magis in potestate talis hominis talis dispositio, quam si non haberet libertatem: ergo, si in aliis actus ille non est necessarius propter impotentiam, etiam in humiliori homine non erit necessarius: nec carentia eius potest dici obex, cum non sit aliquid voluntarium, humanum, quod si non est obex, sacramentum habebit suum effectum: quia infallibile est, sacramenta dare gratiam non ponentibus obicem: quia non conferunt illam per actum operantis, sed per se ipsa. Atque hinc tandem concluditur, idem esse dicendum, etiam si carentia talis dispositionis actualis voluntaria sit, vt probari facile potest, coniungendo omnia, quæ diximus: quia aut illa carentia est obex, præcise propter priuationem actus: & hoc non, vt ex dictis in primo & secundo puncto constat: aut propter culpam, quæ est in voluntaria carentia: & hoc etiam non, quia talis culpa non est mortalis, secluso contemptu, ex omnium sententia: quia non est grauis irreuerentia: culpa autem venialis non est obex: vt in prima conclusione ostensum est.

Secundo principaliter probatur conclusio, quia hæc actualis dispositio non est ex natura rei necessaria ad effectum huius sacramenti, neque etiam ex institutione Christi: ergo nullo modo. Maior euidens est, tum quia tota efficacia huius sacramenti non potest ex sola rei natura definiri, sed pendet ex institutione, tam quo ad suum esse, quam quo ad quantitatem effectus, & quo ad modum: tum etiam, quia augmentum habitualis gratiæ & charitatis fieri potest sine vllò actu: ergo, considerando tantum naturam rei, etiam potest fieri per hoc sacramentum, sine vlla dispositione. Minor vero probatur: nam, vbi est talis institutio? In Scriptura enim non habetur, nam Christus solum dixit, Qui manducat me, viuet propter me: Paulus autem explicuit, hoc esse intelligendum de manducante digne, declarat autem eum digne manducare, qui prius probat se ipsum, & sic de pane illo edit; addit vero concilium Trident. ex doctrina Patrum, illam probationem in hoc consistere, (Vt nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacramentum Eucharistiæ accedere debeat) in quibus omnibus nulla est mentio actualis dispositionis: cum tamen illa probatio sui ad dignam manducationem sufficiat, per quam vita comparatur. Neq; aliud institutionis genus ab aliquo Concilio aut Pontifice, aut ab aliquo Sanctorum Patrum traditum, nam licet omnes hortentur ad accedendum ad hoc sacramentum cum magna reuerentia, & deuotione, nullus tamen docuit, actualem dispositionem necessariam esse.

no debere simul concurrere cum ipsa sumptione, ut illa dignè vel fructuosè fiat. Ac deniq; nulla est sufficiens ratio, vel congruentia, ad coniectandum, voluisse Christum, pios & iustos homines ad has angustias redigere. quia facilitum est homini, ita distrahi, ut nullam actualem attentionem, vel deuotionem habeat: aut omnino sine culpa, aut certè ex leui culpa, quæ non satis est ad impediendum fructum sacramenti.

Et confirmo, ac inquirò, quænam sit ista actualis dispositio, quæ ex Christi institutione necessaria est. aut enim in intellectu est necessaria actualis fides huius mysterij: & hoc dici non potest; nam si quis dum communicat, solum cogitet de Deo, ut illi gratias agat, vel de Christi amore, ut eam redamet: aut de propriis peccatis, ut de eis doleat; quodcumq; horum, vel quiduis aliud simile, satis erit ex parte intellectus, non solum ad fructuosam, sed etiam ad deuotam, & reuerentem sumptionem: & eadem ratione ex parte voluntatis non potest determinari certus actus, quæ necessarius sit, ut ex simili discursu facile cõfiscare potest. Dicere autem, in communi saltem requiri, ut accedatur cum aliqua attentione, & bono affectu ad res diuinas, in tantum esse potest verum, in quantum omnes actus sacri hoc modo exercendi sunt, ut debite, & pro dignitate, & cum maiori utilitate fiant. Quod autè hoc fit simpliciter necessarium ad effectum sacramenti ex opere operato, nec ex communicatione actus sacri colligi potest, ut in cæteris sacramentis constat, nec ex speciali ratione huius sacramenti, quod de se, & ex peculiari institutione ad feruorem charitatis excitat. Vnde, si aliqua actualis dispositio esset necessaria, illa deberet esse per proprium actum charitatis: cum ergo id necessarium nõ sit, signum est, nullam actualem dispositionem esse simpliciter necessariam ad effectum, quamuis sit valde utilis. Vnde confirmatur vltimo, quia, si peccator exilimans se esse contritum, accedat ad hoc sacramentum cum sola attritione actuali, iustificabitur; iuxta dicta in precedentibus: ergo, qui accedit in statu gratiæ, etiam si non habeat actualem dispositionem, consequetur augmentum. Patet consequentia, quia dignius communicat ille, quam ille, & quia melius dispositus est iustus per solam iustitiam ad augmentum eius, quam peccator attritus per attritionem ad ipsam iustitiam consequendum, cæteris paribus ex parte sumptionis sacramenti. Quod amplius in hunc modum declaratur, nam sola attritio, ut sic, solum est dispositio, ut per peccatum non ponatur obex effectui sacramenti, nam ad ipsam quidem sumptionem non est sufficiens dispositio; & ideo requiritur ignorantia excusans defectum dispositionis; & nihilominus hoc est satis ad effectum sacramenti, quia non ponitur obex, ergo multo magis sufficiet gratia, quæ non solum tollit obicem, sed etiam disponit ad dignam sumptionem; saltem quantum, ex præcepti rigore necessarium est. Ac deniq; in peccatore communicante, non solum attritio actualiter cõcurrentes in sumptione sacramenti, sed etiam, quæ præcessit, & moraliter manet, sufficit, ut in ipsa sumptione sacramenti remittatur peccatum; ergo multo magis in homine iusto, ut fructus ex communicatione percipiat, sufficiet præcedens deuotio, aut pia voluntas communicandi, vel aliquid simile. Atq; hinc tandem concluditur, in homine iusto cõmunicante non dari statum medium, ita vt nec iustitiam communicando amittat, neq; in illa crescat: quia si iustus permanet, digne communicauit, & obicem non posuit: ergo in gratia creuit: nam hic effectus per se oritur ex hoc Sacramento. Vnde moraliter loquendo semper ita fiet, nam si homo prius erat iustus, non est cur iustitiam communicando amittat, nisi propter extrinsecas causas, ut si illi prohibitum sit communicare, vel tali tempore, vel tali loco, vel à tali persona, vel tali modo: aut alia quacumq; ratione ob conscientiam erro-

Franc. Suarez. Tom. 3.

neam, putet se peccare communicando, & nihilominus accedat: aut deniq; si ex aliquo contemptu graui ad hunc panem, tanquam ad communem cibum, accedat. In quibus casibus prius, quam homo accedat, & res ipsa communicet, per voluntatem sic communicandi peccat mortaliter, & gratiam amittit. Et ideo vix fieri potest, quin ille, qui in ipsa met sacramentali communicatione iustus inuenitur, iustior euadat, dummodo circa aliam materiam non habeat in eodem instante prauam aliquam cogitationem, & deliberatum consensum, quod est valde per accidens ad ea, de quibus nunc agimus.

Ad fundamenta primæ opinionis respondetur, nullum esse probabile veltigium talis institutionis: Basilii enim & reliqui Sancti nihil aliud docent, quam quod à nobis explicatum est. Ad secundum vero respondetur, Christum non solum respexisse ad dignitatem huius sacramenti, sed etiam ad hominis fragilitatem: & ideo propter dignitatem sacramenti, voluit hominem accedere cum iustitia: propter hominis vero fragilitatem, deuotionem actualem requisitum solummodo, ut vtiliorem & magis fructuosam, non vt necessariam; & hoc est magis consentaneum fini huius sacramenti, quod nõ tantum ad actualem charitatem, sed etiam ad habitualement augendam per se primo ordinatur. Vnde, vt hoc modo spiritualiter nutriat hominem, satis est ipsa sacramentalis sumptio, quæ suo modo actus est spiritualis vite: eo vel maxime, quod in alimẽto corporali nutritio fit per actionem viuientis circa alimẽtum: hic autem nutritio fit in actione cibi circa alimẽtum: & ideo non est tam necessaria actio ex parte summentis. Ad tertium respondetur, illam experientiam nullius esse momenti: quia habitus infili, & eorum augmentum non possunt experientia cognosci: quia per se ac formaliter nec mortificant passiones, nec excludunt vitiorum habitus, nec venialia peccata impediunt: & ideo fieri potest, vt homo, qui per sacramenti frequentiam multum in gratia crescit, in ratione viuendi & exercendi virtutes non admodum mutetur: quanquam si huiusmodi homo diu in gratia perseuerat: & omnia mortalia peccata euitat, satis in hoc effectu manifestatur frequentis communionis efficacia.

Ad primum & secundum fundamentum secundæ sententiæ, iam est responsum ex dictis. Ad tertium ex Augustino, respondetur, in priori loco nostram confirmare sententiã, quia solum requirit, ut mens sine affectu peccandi sit: & vt (si prius peccauit) sufficientem sui peccati penitentiam præmittat: in secundo autem loco nihil aliud requirit ad spiritualiter manducandum, nisi vt innocentiam ad altare portemus: & præcedentium peccatorum penitentiam præmittamus. Hæc autem intelligenda sunt cum debita proportione: nam de peccato mortali sunt simpliciter necessaria: de venialibus autem sunt vtilia: & ad vitandam omnem culpam etiam venialem, suo modo necessaria, non tamen ad omnem fructum sacramenti recipiendum.

#### SECTIO IV.

Quando conferat Eucharistia hunc gratiæ effectum in ipsa sumptione.

A Ntequam de aliis effectibus huius Sacramenti tractemus, oportet declarare tempus & modum, quo sacramentum hoc prædictum gratiæ effectum conferat; nam, simul etiam explicabitur, quæntus sit hic effectus in singulis communicantibus, & an in omnibus sit æqualis. Possunt autem quatuor tempora in præsentem distingui. Primum, ante sumptionem sacramentalem Eucharistiæ. Secundum tempus est ipsius sumptionis seu mädicationis. Tertium est post manducationem, quamdiu præsentia Christi durat in homine. Quartum est, postquam

S s s

transitu-

transmutatis speciebus, iam Christi praesentia cessat. De primo ergo tempore nihil est in praesente dicendum: quia illud nec confert, nec sufficit ad effectum ex opere operato per hoc sacramentum recipiendum. Nam, licet haeretici dicant, Eucharistiam, antequam manducetur, posse excitare fidem, & sic conferre suum effectum: tamen certum est, effectum huius sacramenti non in eo consistere, sed in vera infusione gratiae, quae non est promissa, nisi manducantibus sacramentum, Ioan. 6. Vnde, licet aliqui Catholici interdum significant, effectum huius sacramenti dari per votum ipsius, ante sacramentalem manducationem eius, tamen hoc non est intelligendum de proprio effectum ex opere operato, sed formaliter de simili effectum gratiae, vel augmento charitatis, ut saepe in superioribus dictum est: quoad hoc enim eadem est ratio de omnibus sacramentis. Hic ergo dicendum est de secundo tempore, postea vero de reliquis.

Ioan. 6.

Eff. 7. Eucharistia conferitur sumptio in ipsa sumptione.

Principio igitur conveniunt auctores omnes, hunc gratiae effectum conferri non ponenti obicem in ipsa sumptione. Primum quidem, quia manducanti facta est promissio, ut dixi: ergo in manducatione datur. Secundum, quia neque ante manducationem datur, ut probatur: alius daretur per quemlibet contactum: aut per visionem Eucharistiae: neque esset necessaria sumptio ad effectum, quae omnia sunt absurda. Neque post sumptionem aliquid est, quod expectetur: quia sane iam homo manducavit, & licet statim moreretur, vel non posset alterare, seu digerere species, consequeretur effectum. Tertio, quia alia sacramenta dant suum effectum in usu; ergo & hoc, cum applicatur ad usum: applicatur autem per manducationem. Quia vero manducatio in quodam motu successivo consistit, difficultas est, an in toto illo, aut in qua parte, aut in instante eius, detur hic effectus. Ratio autem dubitandi est: quia non potest dari in toto motu, nam gratia sacramentalis vno instante perficitur, quae ratio etiam probat de qualibet parte illius motus. Neque etiam potest dari in instante initiatio: quia cum illud sit vltimum non esse, nondum in illo manducatio facta est: neque etiam dari potest in aliquo instante continuatio, tum, quia nullum est primum: & de ceteris non est maior ratio de vno, quam de alio: tum etiam, quia in nullo illorum est perfecta manducatio. Nec denique in instante terminatio: tum, quia in illo iam non est manducatio: tum maxime, quia nullum potest signari primum instans, in quo Christus fit manducatus: quia Christus est in toto, & in qualibet parte specierum: sed non datur prima pars specierum, quae manducata sit: ergo nec datur primum instans, in quo Christus manducatus sit: ergo nec potest dari primus aut certus terminus manducationis, in quo detur haec gratia.

Maio.

Circa hanc difficultatem Maior in 4. d. 9. quaest. 1. duos dicendi modos excogitavit: ad quos examinandos supponendum est ex tractatis supra de sacramentis in genere, & ex communi sententia, hoc sacramentum maiorem gratiam conferre homini, melius disposito, non solum ex opere operantis, ut significant Victoria in Summ. num. 76. de Eucharist. & Ledesma in 4. part. 1. quaest. 22. art. 4. sed etiam ex opere operato: ut docet D. Thomas quaest. 69. art. 8. Alenf. 4. part. quaest. 21. membr. 3. & alij Doctores in 4. distinct. 4. quos supra retuli, & referunt ac sequuntur Corduba libro 2. quaest. Theolog. quaestione. 3. Soto distinct. 6. quaest. 1. artic. 6. & fauet multum Concil. Tridentin. sessione 6. ut citato loco de sacramentis in genere annotavi: ubi etiam ostendi, hanc esse convenientiorem rationem institutionis, magisque accommodatam ad humanos mores, & ad modum efficiendi cuiuscunque causae, quae ceteris paribus, magis operatur in passum melius dispositum. Hoc ergo supposito, primus mo-

Vitor. Ledesma. Alenf.

Cordub. Soto.

Art. VIII. dus dicendi Maioris est, hoc sacramentum dare suum effectum in instante manducationis, in quo inveniunt hominem melius dispositum. Sed hic modus est voluntarie confectus, & non satisfaciens. Primus, quia ante omnia necesse est, ut sufficiens manducatio, seu applicatio sacramenti facta sit: quia antequam, etiam si homo fit optime dispositus, multoque melius, quam in ipsa sumptione futurus sit, non recipiet effectum, quia nondum recepit sacramentum: si autem iam supponitur sacramentum sufficienter applicatum, & homo est ita dispositus, non ponat obicem, non expectabit sacramentum meliorem dispositionem futuram, sed statim dabit suum effectum. Primum, quia agit ad modum causae naturalis. Secundo, quia omnia sacramenta conferunt effectus suos statim, ac applicantur ad usum: qui usus de se est certus & determinatus independentem a futura dispositione sumentis. Tertio, quia effectus sacramenti non debet pendere ex praesentia Dei de futura meliori dispositione sumentis: alioqui exempli praesentia futuri obicis posset impediri effectus. Tandem hic modus non est vniuersalis, quia sepius accidere potest, ut toto illo tempore sit vniuersalis dispositio sumentis: quid ergo tunc dicendum erit?

Secundus modus dicendi huius auctoris est, hoc sacramentum conferre gratiam successivo toto tempore sumptionis. Quem modum impugnat Soto duobus rationibus. Prima est supra tacta inter arguendum: quia gratia datur in instante. Secunda, quia alia sacramenta conferunt effectus suos in instante. Haec tamen rationes non videntur convincere: quia licet productio formae sit instantanea, intentio & augmentum potest esse in tempore propter applicationem agentis, vel alias occasiones, ut plane constat in productione & intentione loci, & idem accidere potest in augmento gratiae, quod fit per continuum meritum operantis: nam, cum meritum sit sufficiens causa talis augmenti, si meritum continuè maius est, vel propter perseverantiam in eodem actu, vel propter continuum intentionem maiorem eiusdem actus, etiam maius augmentum eiusdem gratiae erit continuum: cum ergo effectus per se huius sacramenti sit augmentum gratiae & charitatis, ex parte talis effectus non repugnabit successivè dari, si ex parte ipsius causae aliqua sufficiens ratio talis successus assignetur. In quo (ut de secunda ratione dicamus) non est eadem ratio huius & aliorum sacramentorum: alia enim successivè fiunt & transeunt, & in instante, in quo consummantur, conferunt effectum: & quia amplius non sunt, actionem continuare non possunt: quia tantum sunt in usu, & tunc simpliciter esse incipiunt, quando usus perficitur, & statim etiam desinunt: & ideo non possunt agere in tempore: at vero hoc sacramentum est permanentis, & factum supponitur ante usum: applicatur autem ad agendum per ipsum usum: & totum integrum permanet toto tempore manducationis & usus, & in qualibet parte & instante illius temporis: & ideo et hoc etiam capite non repugnabit, quin toto tempore agat. Rationem autem huius successus nullam aliam Maior assignat, nisi quia Christus ita statuit, dare scilicet gratiam in tota manducatione huius sacramenti, iuxta illud, Qui manducavit me, vivet propter me: quoniam non est maior ratio divina parte, vel instanti manducationis, quam de alijs. Vnde sentit, hunc modum efficientiae successivae esse vniuersalem in hoc sacramentum, qualitercumque sit subiectum dispositum. Sed haec sententia sic explicata mihi omnino displicet. Primum quidem quia nullo sufficienti fundamento nititur: nam, quod Christus promiserit gratiam manducantibus hoc sacramentum, nullum argumentum est, dandum esse gratiam toto tempore manducationis: sicut quod promittitur fieri in hac hora, non necessario intelligitur continuum efficiendum.

ciendum per totam horam, sed intra illam, siue in toto, siue in parte, siue in instante illius fiat. Secundo, quando causa est efficax, & subiectum æquè dispositum applicatur sufficienter, statim agit quantum potest; & ideo tunc non est successio: sed Christus instituit hoc sacramentum, sicut & cætera conferendo illi virtutem & modum causandi maxime proportionatum perfectioribus causis: ergo irrationaliter hic fingitur successio in actione ex sola voluntate Christi, si in rebus ipsis nullum est fundamentum, vel ratio talis successio: sæpe autem nullum est huiusmodi fundamentum, quia sacramentum semper est idem, & æquè efficax; & totumq; sufficienter applicatur in quacumq; parte vel instante manducationis, nec per successiuam manducationem magis ac magis applicatur, quia totum est, in quolibet puncto illius: ergo, si aliqui subiectum sit æquè dispositum, nulla erit ratio successio. Tertio, necesse est assignare aliquod instans manducationis, in quo incipiat fieri huiusmodi effectus, ut per se constat: inquiri ergo; an illo instante incipiat tantum extrinsece actio sacramenti per vltimum non esse, vel intrinsece per primum sui esse. Si hoc secundum dicatur, necesse est etiam dicere, simul quoq; tunc fieri aliquem gradum gratiæ, vel aliquam partem, quæ vere augeatur gratiæ præexistens: ergo gratis dicitur, postea continuari illam actionem, & amplius augeri effectum, si subiectum non est amplius dispositum. Si vero dicatur primum non videtur posse generaliter defendi, quia interdum datur prima gratia per hanc manducationem, quæ semper in instante, & non successiuè fit, & præterea explicare debet hic author, quod sit illud instans manducationis, in quo incipit actio sacramenti. In hoc enim versatur præcipua ratio huius difficultatis, quam ipse in vtroq; dicendi modo in explicatam reliquit. Tandem sequitur ex hac opinione, cum qui hostiam maioris quantitatis recipit, cæteris paribus, recipere maiorem effectum, quia tunc manducatio longiori tempore durat: ergo, si toto illo tempore durat actio, magis augebitur gratia: & idem erit de illo, qui lentius accipit cibum & potum. Respondet Maior negando sequelam, quia illa actio, quamuis maiori tempore duret, non fit æquè intense: quia Deus (inquit) certum eundemque gradum gratiæ statuit dare per quamcumq; manducationem Eucharistiæ. Unde, siue manducatio breviori, siue longiori tempore duret, ita Deus accommodat velocitatem vel tarditatem actionis suæ, ut in fine vtriusq; manducationis idem gradus effectus sit. Sed hæc responsio impugnata est ex dictis, tum quia est voluntaria, tum etiam, quia effectus & actio sacramenti, ut sæpe dixi, esse debet determinata, & non pendens ex accidentariis eventibus, præsertim corporalibus, nihilq; ad effectum sacramenti pertinentibus, ut sunt quantitas hostiæ, vel difficultas traiciendi illam.

aliqua termino debet dari in instante dicitur dicitur manducationem à non manducatione. Franc. Suarez. Tom. 3.

uenit ad prædictum terminum: quod instans diuidit non manducationem à manducatione tanquam finis vnus, & initium alterius: nam vsq; ad illud instans nondum cibus manducatur: quia nondum ab ore traicitur: tunc autem incipit extrinsecus terminus manducationis: quia immediate post illud traicitur. Quo etiam fit, ut illo instante incipiat sacramentalis actio huius sacri cibi, quia ante illud certum est non inchoari, cum ante illud instans non manducetur. Quomodo autem in illo instante incipiat, aut fiat hic effectus, id explicandum relinquatur.

Circa quod dicendum in primis videtur, sacramentum Eucharistiæ conferre totum suum effectum simul & non successiuè, si ex parte subiecti nulla sit ratio successio, ob successiuum augmentum dispositionis. Hæc conclusio, quoad priorem partem, est communis, ut ex authorib. citatis & citandis, constat: quam sufficienter probant, quæ contra Paludanum adduximus: præsertim illa ratio: causa efficax simul producit totum effectum suum, quando nec in passo, nec ex parte effectus est repugnantia, hoc autem sacramentum est causa de se efficax: & gratia de se producibilis est in instante in quocumq; gradu, cum sit qualitas permanens: & maxime cum non habeat propriam contrarium posituum. Denique ex parte subiecti supponitur eadem dispositio, seu indifferentia. Propter quod addidit posteriorem conclusionis partem: nam, si ex parte subiecti sit aliqua varietas, non repugnat, ut censeo, effectum sacramenti successiuè augeri, vel successione continua, vel discreta: hæc autem varietas non est consideranda in materiali seu corporali applicatione sacramenti secundum pauciores vel plures partes specierum, ut Maior existimasse videtur: hoc enim nihil refert; quia, cum totus Christus, totumq; sacramentum hoc sit in qualibet parte, quælibet applicatio de se sufficit ad totum effectum, si cætera sint paria. Igitur varietas, quæ ad rem pertinet, consideranda est in dispositione recipientis: nam cum hoc sacramentum det maiorem gratiam melius disposito, si subiectum circa finem manducationis sit melius dispositum, quam in initio, maiorem gratiam recipiet, quam si non fuisset magis dispositum: illam autem gratiam non recipiet simul, sed successiuè, ergo. Maior patet; primo, quia totum tempus manducationis est tempus aptum, ut conferatur gratia: ergo datur iuxta perfectissimam dispositionem concurrentem in quacumq; parte manducationis. Secundo, quia, si contingeret peccatorem in initio manducationis non esse sufficienter contritum, & in progressu manducationis perficere contritionem suam, non priuaretur effectui sacramenti: quia absolute loquendo iam digne manducet, & non ponit obicem sacramento in ipso vsu eius: ergo maiori ratione, qui in principio fuit dispositus, & in fine magis perfectè dispositionem suam, non priuabitur maiori fructu respondente maiori dispositioni. Tandem hoc à fortiori constabit ex his, quæ dicemus sequentibus sectionibus, vbi ostendemus, quando communio fit per plures sumptiones partiales & discretas augeri effectum per secundam, si aucta est dispositio subiecti, nam, si hoc verum est, idem erit in præsentem, nam quod species sint continuæ, vel discretæ, valde accidentarium est, & per accidens ad propriam rationem & efficaciam huius sacramenti. Minor autem propositio, nimirum quod huiusmodi augmentum talis effectus debeat necessario fieri successiuè, probatur facile: quia cum in principio manducationis sacramenti, subiectum sit dispositum & sine obice, statim recipiet aliquam gratiam proportionatam suæ dispositioni, quia nihil est, quod impediat, ut probatum satis est contra primum modum dicendi Maioris: sed postea sequente tempore, ut suppono, augeatur dispositio, & cum illa effectus:

Eucharistia simul & non successiuè conferit suum effectum.

ergo prius tempore fit vna pars huius effectus, quam alia: hoc autem est ipsum fieri successiuè. Atq; hinc etiam constat, hanc successiōem interdum esse posse continuam: interdum vero discretam, vt si dispositio continue augeatur, continue etiam augebatur effectus propter rationem factam, quæ eadem proportione applicanda est. Potest autem dispositio continue augeri duobus modis. Vnus est per continuam intentionem maiorem eiusdem actus: possunt enim vitales actus continue augeri, sicut alia qualitates. Alius modus est solum per continuam durationem eiusdem omnino actus: nam licet talis actus non fiat melior physice, tamen propter maiorem perseverantiam, seu continuationem illius, fit dispositio moraliter melior: vt constat ex 1. 2. quaestio. 18. nam qui toto illo tempore, quamdiu sacramentum trahit, in actu amoris Dei, vt quatuor perseverat, digniori certe & laudabili modo manducat: quam qui in initio tantum manducationis similem actum habuit, & statim ab illo desinit: ergo ille maius recipit augmentum charitatis: ergo illud augmentum continua successione fiet in illo tempore, quia & est eadem ratio de toto illo tempore: & in toto illo continue crescit dispositio: Nec tamen sequitur, hoc augmentum fore infinitum: quia ipius etiam dispositionis augmentum finitum est moraliter: & fit per partes proportionales tempori correspondentes, vt latius alibi dictum est, de merito per continuationem actus. Per discretam autem successiōem potest hoc augmentum fieri, si prius in vno instante communicans habeat vnum actum, & postea in alio instante habeat aliquem aequalem, vel maiorem: in tempore autem medio cessat ab operando, vt facile constabit applicando doctrinam datam: iuxta quam etiam intelligendum est hoc augmentum non esse conferendum iuxta æqualitatem ad singulos actus, sed iuxta proportionem & excessum vnius ad alium: vel physicum, ratione maioris intensiōis: vel morale, ratione multiplicationis plurium actuum. Neque contra hunc modum successiue actionis video rationem aut difficultatem alicuius momenti, quamuis aliquibus difficilis videatur: si quæ tamen hic potest esse difficultas, statim explicabitur: & quæ ratione possit etiam contrarium defendi.

Dico secundò, quamuis hoc sacramentum simul conferat totum effectum suum: probabile nihilominus est non conferre illum in primo aliquo instante nostri temporis, sed solum in intrinseca duratione indivisibili coexistente alicui temporis nostro, & non alicui primo instante. Declaratur, quia dictum est, dari vnum terminum indivisibilem diuidentem spatium, per quod fit manducatio, ab alio, in quo non fit, & consequenter dari etiam vnum instantem, in quo cibis peruenit ad illi terminum, quod est vltimum non esse manducationis: ergo necesse est dicere: in illo instante nondum esse effectum sacramenti: quia sacramentum non agit, donec manducetur: sed tunc non manducatur: ergo neque tunc agit: & eadem ratione concluditur, actum esse immediate post illud instans, quia immediate post illud iam manducatur: ergo in ordine ad nostrum tempus incipit agere hoc sacramentum per vltimum non esse actionis, seu effectus. Et confirmatur: nam post illud instans non potest assignari aliquid, in quo primo agat hoc sacramentum: quia quolibet signato, præcessit aliqua manducationis pars sufficiens ad actionem: ergo, vel per nullam partem manducationis fit actio, & ita nunquam fiet: vel ante quamlibet signatam, iam facta est: quia non est maior ratio de vna, quam de alia: tantum ergo incipit extrinsece in ordine ad nostrum tempus. Quod vero in intrinseca duratione sua fit indivisibilis, patet: quia intrinsece est tota simul, & non pars post partem, vt in pri-

*Probabile est  
Eucharistiā  
non conferre  
suum effectum  
in primo ali-  
quo instante  
nostri tempo-  
poris.*

ma conclusione ostensum est. Neq; repugnat durationem in se indivisibilem incipere coexistendo successiue tempori nostro: sicut non repugnat eodem modo esse, quia tota coexistit toti tempori, & tota etiam est in qualibet parte, vel instante intrinseco nostri temporis, quod commune est aliis rebus permanentibus, & indivisibiliter incipientibus, post instantem nostri temporis, vt constat ex Philosophia. Solum potest hic ob stare, quia necessario factum est, illam actionem sacramenti durare pro aliquo tempore nostro: non potest autem certum tempus assignari, pro quo duret: quia quocumq; signato minus sufficit: solum autem videtur durare tempore necessario ad effectum. Quia aliud superfluum est & gratis confectum. Respondetur, concedendo primam sequelam, & consequenter necessario determinandum aliquod certum tempus nostrum, pro quo duret illa actio: quia oportet illud tempus esse finitum, & inter duo instantia clausum: ergo certum & determinatum: hæc autem determinatio altero tantum è duobus modis videtur posse intelligi. Primo, quod illa actio duret toto tempore manducationis sacramenti, non per modum novæ productionis continuæ, vt dicebat Maior, sed per modum conservationis: quia non est maior ratio de vna parte, quam de alia, & quia toto illo tempore ad eandem causam eodem genere applicationis. Secundo dici potest, necessarium fuisse, vt Christus in sua institutione determinaverit suo arbitrio & voluntate, quanto tempore duratura esset talis actio, quia non poterit alia ratione determinari.

Dico tertio, probabiliter etiam defendi posse, hunc effectum fieri in instante etiam nostri temporis: hoc suadet opinio Theologorum, qui frequentius ita sentire videntur. Item obiectio nuper facta contra præcedentem conclusionem: nam responsiones datæ non omnino satisfaciunt: & saltem suadent, si per momentaneam omnino actionem satis potest hæc efficiencia intelligi, superfluum esse illam diurnam, vel voluntariam conservationem eiusdem actionis. Deniq; hoc per se loquendo est magis connaturaliter permanenti. Modus autem declarandi instans, in quo fit hæc actio, potest esse triplex. Primus est, vt hic effectus fiat in illo primo instante, in quo cibis peruenit ad illum terminum diuidentem spatium intermedium, per quod fit manducatio, ab externo. Solum potest contra hoc ob stare ratio facta in secunda conclusione, quia in illo instante nondum manducatur Christus, quia nondum manducatur panis: hæc enim denominatio non redundat in corpus, nisi mediis speciebus panis: corpus autem Christi, non confert gratiam, nisi manducatum. Dicitur vero potest, quod totum corpus Christi est in qualibet parte speciei, & in qualibet superficie, vel puncto eorum. Ideo, cum primum peruenit ad prædictum terminum, dare gratiam sacramentalem: quia cum ille terminus sit continuans interiori partem gutturis cui exteriori, est intrinsecus vtrique earum: & ideo iam totus Christus dici potest sufficienter, & intrinsece applicatus ad illum effectum. Quod ita potest commode explicari. Nam, quando cibis materialis manducatur, quamuis, cum primum attingit illum terminum, nondum trahitur, nec manducatur, quasi materialiter quoad modum localem: tamen quoad aliquam vim agendi vel patiendi, tunc incipit esse sufficienter applicatus, ita vt, vel tunc primo attrahi possit, vel alterari ab interiori virtute nutritiva, cum antea non posset; nam hæc applicatio in instante perficitur, & ita formaliter, & quoad vim agendi, vel patiendi dici posset manducatio intrinsece incipere: sic igitur in eodem instante incipit spirituale nutritio, quæ fit per hoc sacramentum: & incipit simul tota: quia hæc nutritio est ab ipso cibo, & non ab homine, qui nutritur; verus autem

quibus est ipse Christus, qui totus iam tunc est applicatus.

Secundus modus esse potest; non incipere hanc actionem, donec species sacramentales incipiant degluciri, ita ut non solum attingant, sed etiam pertrahantur incipient praedictum terminum, a quo incipit propria manducatio. Quia vero in illa manducatione seu transitu sunt infinita instantia, ad assignandum vnum, in quo, & manducatio duret, seu continetur, & fiat effectus, dici potest, illum non esse vltimum, quia in eo iam non est, nec continuatur manducatio: sed esse vnum aliquod intermedium, illud videlicet, in quo maxima pars specierum deuorata est: quia tunc iam videtur manducatio virtute perfecta: quoniam illa pars, quae traiecta est, sufficiens est suo pondere alias secum trahere. Sed hic modus videtur valde incertus, & voluntarie excogitatus. Item fortasse non semper potest dari punctum, vel initans primum, in quo pars maior specierum manducata sit: sed dabitur initans, in quo medietas specierum primum sit traiecta, & immediate post illud transitu maior pars vnde, sicut, non datur maxima pars post medietatem, ita nec dabitur primum instantans, in quo aliquid maius mediate manducatum sit. Denique inde fieret, propter solam specierum magnitudinem differri effectum, a ceteris paribus, quod non videtur rationale. Item possunt inferri alia incommoda, quae in tertio modo proponam.

Tertius modus est, effectum non dari vsq; ad illud primum instantans, in quo tota hostia, seu formula manducata est, seu in quo stomachum attingit, & finitur motus manducationis. Et ratio reddi potest, quia non censetur manducatio, & vltus sacramenti perfectus vsq; ad illud instantans: promissio autem facta est manducationi, scilicet, perfecta: antea enim Christus manducatus non est, quia Christus in illa hostia habet vnam praesentiam totalem: & ideo, donec secundum totam illam praesentiam transierit ob ore vsq; ad stomachum, non dabit effectum. Quod si hic modus verus est, cessant omnia supra dicta de successiva actione huius sacramenti in manducatione ipsa, quia iam non potest esse varia dispositio in subiecto manducante, sed tota erit consummata in illo instante. Sed hic modus, hoc sensu explicatus, est valde rigorosus, & plures continet difficultates, quas statim attingam, sed illa est maxime propria, quod in illo instante iam Christus non manducatur, sed manducatus est: Christus autem non tantum promissit gratiam ei, qui se manducauit, sed manducanti se. Quod ita declaro. Finge hominem, qui sacramentales species reuerenter accepit, & ab ore traiecit, mori prius, quam species ad stomachum perueniant: ille iuxta praedictam sententiam periret sine effectu sacramenti: quia perit ante perfectum vsum eius, & ante illud instantans, in quo daturum erat suum effectum: consequens autem videtur contra Christi promissionem: Qui manducat me, viuet propter me: nam de illo homine verum fuit dicere, hic digne manducat Christum.

Et ideo posset hic modus leniri, & aliter declarari, dicendo, non expectari tantum temporis, ut datur effectus, sed solum, quod tota sacramentalis formula, seu buccella pertranseat supra dictum terminum, in quo incipit manducatio, ita ut illud instantans, in quo vltima superficies sacramenti attingit intrinsece terminum illum, sit illud, in quo datur effectus: quia iam totum sacramentum & manducatur, & intrinsece manducatum est: & hoc sensu est hic modus aliquantulum probabilior, & in eo locum habent, quae supra dicta sunt de successione actionis: quia post illud instantans, superest magna pars manducationis, in qua potest dispositio subiecti perfici. Sed etiam in hoc sensu sunt difficultates. Primo enim, etiam hic habet locum illa difficultas, quod magnitudo specierum retardaret effectum ceteris paribus. Secun-

Franc. Suarez Tom. 3.

da est, quod sola etiam continuas speciei retardaret effectum. Finge enim, aliquem accipere hostiam in plures partes diuisam, prius vnam, & postea aliam, tunc post traiectionem primae particulae statim daretur effectus; & tamen si manducasset hostiam integram, quamuis traiecit partem continuam aequallem, vel maiorem alteri diuisae, non statim acciperet effectum iuxta hanc sententiam, donec totam hostiam traieciar: ergo per solam continuationem retardaretur effectus, vel omnino etiam impediretur, si contingeret hominem mori in eo instanti: consequens autem est valde absurdum: quia continuas vel diuisio specierum est valde accidentaria ad vsum, & fructum huius sacramenti, cum aequè adfit Christus in partibus continuis, & diuisis, & aequè sit vnum sacramentum, & vna communio, ut ex sequente sectione constabit. Et haec ratio conuincit de quacumque particula specierum, quantumuis minima, vel separata, vel designata in toto continuo. Item, quia vtroque modo verum est dicere, hunc hominem iam manducare totum Christum, quamuis non manducauerit totam quantitatem specierum: promissio autem gratiae facta est manducanti Christum. Quocirca tota haec res videtur incerta, & Christi Domini sapientiae & arbitrio remittenda, omnibus tamen pensatis, ex tribus his modis primus videtur minora habere incommoda, satiusque probabiliter explicari per analogiam ad materialem nutritionem, magisque commendare efficaciam huius sacramenti, Christi in gratia communicaanda largitate.

#### SECTIO V.

*Vtrum plures species sacramentales eiusdem rationis successive manducata conferant vnum, & eundem effectum, quando illum tribuant.*

**Q**UAE in praecedenti sectione diximus, procedunt de vnica manducatione Eucharistiae, tam moralis, quam physica; contingit autem sumi idem sacramentum per partes, ita ut prius tempore manducetur vna pars specierum, & illa manducatione finita, alia tempore posterior fiat, quae licet sit alia physice, non tamen moraliter, ut supra diximus, agentes de vnitatem huius sacramenti. Nam, si communionem sunt moraliter etiam distincta, non est dubium, quin in singulis dentur diuersi effectus. Sed quando communio est vna moraliter, & fit praedicto modo per partes, difficultas est tam de effectu, quam de tempore, in quo datur. Agimus autem nunc de partibus specierum eiusdem rationis, quales sunt species panis inter se collatae, vel species vini inter se, partes autem diuersarum rationum, erunt species panis & vini inter se comparatae, de quibus in sequenti sectione est dicendum.

Ratio autem difficultatis est, quia effectus datur per partes in singulis sumptionibus: & hoc non, quia vel in singulis partialibus sumptionibus daretur tantus effectus, quantum in vna earum daretur, si sola fieret per modum totius: vel minor: Primum dici non potest: quia alias per illas sumptiones darentur plures effectus integri, non minus, quam si illa essent plures communionem moraliter distincta: quod est plane absurdum. Secundum etiam dici non potest, quia vnillarum sumptionum non potest impedire aliam, quo minus in ea totus effectus datur, qui dandus esset, si sola illa fieret. Aut hic effectus datur simul totus in vna ex his sumptionibus, & hoc etiam est difficile, quia si hic effectus datur in prima sumptione partiali, cur sequentes sunt priuatae omni effectu? si vero datur in secunda, aut vltima, si plures sint: cur prima sumptio priuata est effectu, quae haberet, si sola fieret?

In hac re primo statuendum est in huiusmodi idem confessione, ceteris paribus ex parte sumentis, quomodo effectus non

*Sim per unâ  
communione  
sine sumatur  
hostia tota,  
7. ad tertium,  
ubi dicit: si  
aliquis simul  
in vna. Missa  
multas hostias  
consecratas  
sumat, non  
participabit  
maiolem  
effectum  
sacramenti:  
& rationem  
reddidit:  
quia non plus  
virtutis est  
in multis  
hostiis  
consecra-  
tis, quam in  
vna cum  
sub omnibus  
& sub vna  
non sit,  
nisi totus  
Christus.  
Loquitur  
autem sine  
dubio, de  
simultate  
moralis, &  
non tantum  
de physica;  
quia hæc  
est imperti-  
nens, & quia  
vix contingit,  
plures hostias  
simul man-  
ducari eodem  
physico tem-  
pore. Et con-  
firmatur præ-  
terea, quia  
vel illa est  
duplex com-  
munitio  
moraliter,  
vel vna. Non  
primum, quia  
alias illicita  
esset talis  
communio,  
quia non licet  
bis eodem die  
communicare:  
est ergo vna  
communio, ut  
latius etiam  
citato loco  
dictum est:  
ergo vnus  
datur effectus  
per se ac  
integer &  
totalis. Con-  
firmatur secundo,  
quia alias  
fructuosius  
esset sacerdotibus  
sumere partes  
hostiæ fractæ  
successiue  
vnam post  
aliam, quam  
simul vtramque,  
quod est vanum,  
& dictum  
superstitiosum.*

*Eucharistia  
effectus datur  
totus simul  
per se loquendo.*

Dico secundo; Hic effectus non datur per partes in singulis sumptionibus, sed simul totus per se loquendo, hoc conuincit ratio dubitandi in principio facta: & a fortiori sequitur ex dictis sectione præcedenti: nam quando species sunt continuæ, effectus datur simul totus, per se loquendo: ergo idem erit, etiam si species sint discontinuæ, vel in ipsa sumptione discontinuentur, vt si quis vno hausto continuo bibat totum calicem, vel pluribus, id impertinens est, vt effectus detur simul, aut per partes: quia vt sæpe dixi, continuitas vel discretio specierum non variat effectum, & hæc assertio magis parebit ex sequenti. Dico autem, per se loquendo, quia ex dispositione subiecti potest esse aliqua successio, iuxta dicta in præcedenti sectione, vt statim etiam explicabitur.

*Hic effectus  
datur in  
prima sumptione  
partiali.*

Dico tertio, hunc effectum dari in prima sumptione partiali, & in primo instanti eius iuxta modum, quem elegimus præcedenti sectione. Priorem partem probat sufficienter ratio dubitandi in principio posita: addendo, quod sæpe dixi, effectum sacramenti non debere pendere à futuro & contingente euentu: quod enim post primam illam sumptionem partialem futura sit alia, contingens est, & accidentarium, non ergo inde pendere debet effectus, qui sine dubio daretur in prima sumptione, si illa esset sola. Confirmatur & declaratur: nam fingamus, Sacerdotem successiue sumentem partes hostiæ fractæ, mori, sumpta prima, antequam possit sumere secundam: nunquid priuaretur effectui sacramenti? Non quidem. Nam, si voluntariè decreuisset sumere solam illam partem, consequeretur effectum: ergo multo magis, si ob impotentiam solam illam sumat: datur ergo effectus in prima partiali sumptione. Nec recurrendum est ad præcitiâ Dei de partiali sumptione futura: nam hoc est impertinens ad effectum sacramenti, vt differatur, vel statim detur. Et confirmatur: quia in prima sumptione est manducatus totus Christus, ita in illa iam habet locum promissio gratiæ. Et ad hunc modum applicari possunt omnes rationes factæ in sectione præcedente. Quibus etiam probanda est posterior pars conclusionis: quia eadem est ratio de communione vna moraliter, vel etiam physice: & de speciebus continuis vel discretis: nam quacunq; ratione totus Christus primum manducatur, vel applicatur, confert effectum. Item, quia non potest assignari aliud tempus, vel instans primæ sumptionis partialis, in quo dari potest hic effectus.

*Die 210.*

Sed contra: quia in sacramento Extreme vnctionis non datur effectus vsq; ad vltimam vnctionem, vt suo loco dicitur, & docet Diuus Thomas in additionibus, quæstion. 30. artic. 1. ad 3. ergo similiter in

præsentem. Item, quia hæc communio est, moraliter loquendo, vna, consistens ex multis communionibus: ergo recipit complementum suum in vltima, quæ est tanquam forma totius: ergo vsque ad illam non datur effectus, quia hic non datur vsque ad completum vsum sacramenti. Tandem, quia alias per secundam & tertiam huius sacramenti sumptionem nihil profusus fieret, cum tamen vtraq; hæc sacramenti sumptio sit tam vera manducatio Eucharistiæ, sicut prima. Respondetur ad primum argumentum, id verum esse, si loquamur de vltima vnctione essentiali sacramento; & ideo non est omnino quoad hoc, similis ratio: quia vsq; ad illam vltimam vnctionem sacramento essentialem non est ipsum Extreme vnctionis sacramentum: in præsentem autem totum Eucharistiæ sacramentum est à principio, vt supra abunde satis declaratum est. Ad secundum autem, quod obijciatur, dicimus, id esse verum, loquendo de tota sumptione, quoad species sacramentales, non vero quoad manducationem ipsius CHRISTI, in quo est tota virtus huius sacramenti, & totus est in toto, & totus in singulis partibus: & ideo non oportet expectare complementum totius manducationis, quantum ad species visibiles, vtrâ fortiori patet ex dictis, præcedente sectione. Ad tertium respondetur, illud nullum esse inconueniens, nam hæc sumptiones, licet physice distinctæ sunt, non sunt tamen considerandæ, vt integræ communionis, seu vsus sacramenti: sed vt integrantes vnam communionem moralem, per quam vnus datur effectus, quem non est necesse dari per totam illam per se primo, seu per omnes partes eius: sicut cætera sacramenta, quæ consistunt in vsu, non agunt per omnes partes, sed vltimum terminum, in quo consummantur: hoc autem sacramentum est contrarium, quia facti supponitur, & statim in initio totum applicatur: ideo in ipso etiam initio manducationis operatur. Vnde, sicut in manducatione, quæ vnicui continuo motu fit, circa eandem species continuas, vel simul sumptas, non est inconueniens, quod in posterioribus partibus manducationis nihil noui fiat, sed effectus tribuitur toti ratione partis: ita in manducatione, quæ fit per partiales motus discretos, nullum est inconueniens in posterioribus sumptionibus nihil noui fieri: quia etiam ex illis omnibus fit vnus totum, quod per partem suo modo operatur, & quia in hoc continuitas, vel discretio nihil refert, vt sæpe dictum est.

Addo tamen, hæc esse intelligenda & limitanda iuxta doctrinam datam in præcedente sectione, id est, per se loquendo, & quantum est ex parte sacramenti: existenteque eadem dispositione ex parte subiecti: nam si hæc varietur, seu perficiatur, fieri potest, vt aliqua gratia detur in posteriori sumptione partiali, quæ non est data in priori. Vnde si contingat, Sacerdotem successiue sumentem partes hostiæ, dum sumit priorem partem, habere obiectum, seu non esse attritum, cum vero sumit partem posteriorem, iam esse dispositum & contritum, recipiet effectum gratiæ in secunda sumptione partiali, quem non sumpserit in prima. Probatur, quia ille iam manducat corpus Christi Domini digne: ergo recipiet effectum. Item, quia dictum est, virtutem conferendi gratiam ita applicari per manducationem, vt quæ applicetur per totam, & per quamlibet partem eius, quia semper applicatur totus Christus: sed in vna parte huius sumptionis applicatur hæc virtus subiecto recte disposito: ergo confert effectum. Item, quia si prior sumptio non præcessisset sequens daret effectum subiecto disposito: sed quod prior præcesserit, non impedit, quia peccatum, quod in ea commissum est, per poenitentiam etiam deleti potest. Tandem, in cæteris sacramentis, quamuis in principio ablutionis, verbi gratia, vel plationis verborum homo sit ind dispositus, si in instanti, in quo per-

Quod sacramentum iam est dispositum, recipit effectum: ergo erit idem in praesente: nam, quoad hoc, est eadem ratio: quia hoc sacramentum, licet totum sit in priori sumptione, est etiam totum cum eadem virtute in posteriori.

Ex quo ulterius fit, si in priori sumptione subiectum fuit digne dispositum, tamen remissè, recipere tunc effectum proportionatum tali dispositioni; si tamen in secunda sumptione habeat intensiorem, seu perfectiorem dispositionem, augeri etiam, seu intendi sacramenti effectum, probatur: quia est eadem proportio hominis indispliciti nunc ad seipsum postea dispositum: & hominis nunc remissè dispositi, ad seipsum postea intensè dispositum: nam, quod in priori casu nulla data sit gratia, in posteriori aut data sit aliqua, quamvis remissa, non refert: quia gratia danda per sacramentum, non est absolute determinata, sed iuxta dispositionem recipientis: sed in priori sumptione sacramentum non egit, quantum potest facere in subiecto intensè disposito: ergo illud, quod defuit, operabitur in secunda sumptione, quando subiectum iam sic est dispositum. Patet consequentia: quia ad huc durat tota virtus sacramenti, & sufficiens applicatio eius ad agendum. Quod ita secundo declaratur & probatur, quia ex omnibus illis partialibus sumptionibus coalescit una integra communio: ergo in illa datur effectus proportionatus optimae dispositioni, quae subiectum habet in illa communione: tum, quia de illo homine sic communicante verum est dicere non solum quod digne communicat: sed et, quod tam digne, seu cum tanta perfectione communicat: tum etiam, quia virtus sacramenti, & applicatio eius ad operandum, in tota communione durat, & in singulis partibus eius, sed optima dispositio huius subiecti communicantis, non est tantum remissa, sed est intensà: ergo effectus datur, non solum proportionatus priori, sed et posteriori. Praeterea, si in prima sumptione adfuerint intensior dispositio, datus fuisset intensior effectus, ergo, si adest in secunda, ratione illius intenditur inchoatus effectus. Denique cetera argumenta hic possunt applicari: scilicet, quod si prior sumptio non praecessisset, aut in illa nullus fuisset datus effectus, postea daretur iuxta dispositionem intensam. Item, quod in aliis sacramentis, licet in principio dispositio sit remissa, si in termino sit intensà, datur gratia proportionata illi; idem est ergo in praesente. Nec video difficultatem alicuius momenti, quae contra hanc doctrinam obijci possit.

## SECTIO VI.

Verum per species sacramentales diversarum rationum, ut sunt panis, & vini, datur idem effectus gratia, & quantum.

Duplex potest esse sensus huius quaestiones: unus est, comparando singulas species inter se; ut sensus sit, an, si duo communicent, unus in sola specie panis, alius in sola specie vini, aequalem & omnino eiusdem rationis effectum recipiant, ceteris paribus ex parte sumentium. Alter sensus est, comparando sumptionem utriusque speciei ad sumptionem unius tantum, sive panis, sive vini: quo sensu coincidit quaestio cum illa celebri: an, ceteris paribus, plus gratia detur communicantibus sub duabus speciebus, quam sub una, & in hoc posteriori sensu tractatur quaestio ab omnibus authoribus, in priori autem vix ab aliquo attingitur. Censeo tamen, posteriori rem multum esse prior pendere, & ideo hunc prius esse tractandum, ac explicandum.

Circa priorem ergo partem quaestiones aduertendum est: aliud esse loqui de gratia habituali ab-

solute, aliud vero formaliter de illa, ut sacramentalis est: nam, licet haec non addat ipsi gratiae habituali aliquam rem intrinsecam, vel novum aliquem habitum, addit tamen respectum ad speciale aliquod munus, propter quod datur illa gratia habitualis: vel ad aliquem specialem actum, cum proprio & peculiari auxilio actuali: quo modo, licet omnia sacramenta conferant gratiam habitualem eiusdem rationis, tamen diversa sacramenta dicuntur dare gratias sacramentales formaliter diversas: & interdum per duas partes unius integri sacramenti contingit dari diversas gratias sacramentales, ut per Diaconatum, & Sacerdotium. Vtrumque igitur explicare necesse est circa has partes huius sacramenti.

Dico ergo primo: Sumptio cuiuscunque speciei huius sacramenti, etiam si per se sola sumatur, est sufficiens ad dandam aliquam gratiam habitualem, & sacramentalem. Est certa, & indubitata haec conclusio. Nam de specie panis certa fides est, ut constat ex usu, & consuetudine Ecclesiae, atque etiam ex verbis Christi Domini, dicentis. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum. De specie autem vini, quis non sint verba Christi adeo expressa, est tamen omnino eadem ratio, ut omnes Catholici Doctores, de hac materia scribentes, tanquam certum, supponere videntur, sed maxime omnium huic sententiae fauet Concilium Tridentinum, sessio. 21. ca. 1. vbi docet, laicos & Clericos non conficientes, non teneri ad communicandum sub utraque specie, neque villo pacto, salua fide, dubitare posse, quin illis alterius speciei communicatio ad salutem sufficiat. Est non considerandum Concilium non sine causa, nec nominasse, nec determinate locutum fuisse de specie panis, quamvis de illa esset tota cum haereticis controversia, sed indefinite dixisse, alterius speciei, ut significaret eadem esse rationem de qualibet earum, ut quaevis per se sufficere censenda sit: & consequenter quilibet per se posse gratiam ad salutem sufficientem dare. Et eodem sensu ca. 3. subdit, licet Christus sub duabus speciebus, hoc sacramentum instituerit, fatendum tamen esse etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Vbi illa particula (altera) in eodem sensu necessario est intelligenda, scilicet, ut indifferenter de qualibet specie vera sit: quia de fide est, sub singulis speciebus esse totum Christum, & hanc doctrinam fidei intendit tradere Concilium. Unde in eodem sensu ulterius sic concludit. Ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam solam speciem accipiunt: ergo sicut hoc verum est de accipientibus unam tantum speciem panis, ita etiam de accipientibus unam tantum speciem vini, nam verba Concilii in definita, doctrinalia sunt, & utriusque speciei communia. Secundo sumitur haec sententia ex omnibus Patribus, qui, quoad effectum gratiae conferendum, eodem modo loquuntur de calice, quo de pane. Vnde Ambr. 4. de sacr. c. 6. li. 5. cap. 3. dicit, bibendo sanguinem inebriari hominem spiritualiter, eique peccata remitti, & Cypr. lib. 1. epist. 63. dicit, subeunti martyrium prius esse dandum sanguinem Domini, ut vires accipiat ad effundendum pro ipso sanguinem. Tercio interdum visitatum fuit in Ecclesia aliquibus dare solam speciem vini, ut infra dicemus, agentes de praeco: ergo supponebatur, ut certum, per illam dari gratiam. Quando illa species est verum sacramentum: unde significationem habet sacramentalem: quia etiam sumptio vini significat refectioem animi, spiritualem cordis lætitiã, charitatis fervorem, & unionem membrorum Christi in uno corpore, in inter se, & cum capite: & ideo notarunt Cyprianus & August. sicut panis est unum quid, confurgens ex multis granis tritici, ita vinum esse unum quid, confurgens ex multis granis vuae: ergo & haec species, etiam per se sumpta, habet efficaciam sacramentalem: nam sa-

Sumptio cuiuscunque speciei Eucharistica per se sola sufficit ad dandam gratiam aliquam habitualem & sacramentalem.

Ambr. Cypr.

cramenta noue legis efficiunt, quod significant. Vltimo hæc efficientia conuenit his speciebus propter re quam continent, sed æque continetur totus Christus sub speciebus vini, sicut sub speciebus panis: ergo æquè datur gratia per illas. Atque hoc modo facile intelligitur facta promissio, Io. 6. sumptioni Christi sub speciebus vini, sicut sub speciebus panis. nam verba illa, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, non copulati tantum, sed copulatiue, sunt intelligenda, ita ut de singulis membris diuinitatis, & distributiue veritatem habeant, ut patet ex ratione, quam Christus subdit. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Verumque enim horum non solum collectiue, sed et diuinitatis, & distributiue verum est, sicut etiam illud, quod superius Christus dixerat: Qui venit ad me, non esuriat, & qui credit in me, non sitiet unquam. Igitur utrique speciei per se & singulatiue facta est promissio. Nec refert, quod nunquam Christus dixerit similia verba separatum de calice, sicut de pane: tum, quia satis poterat ex vno alio intelligi: tum et, quia id accidere tunc potuit, vel quoniam sermo de ea re fuit occasione miraculi, de quinque panibus: vel quia de Manna incidit sermo, quod manducatum fuit, non potatum: tum denique, quia fortasse Christus præfigurare voluit vsum panis futurum esse frequentiore, & communi populo Ecclesie aptiore.*

*Per sumptionem vniuersæ speciei æqualis conferitur gratia ac per sumptionem alterius, eæ seriè parib.*

Dico secundo, per sumptionem vniuersæ speciei æqualem conferri gratiam habituales, ac per sumptionem alterius, ceteris paribus. Hæc conclusio, ut existimo, sequitur aperte ex precedente, quia nulla est ratio, cur vni speciei tribuatur maior effectus gratiæ quam alteri, quia promissio est eadè, & eisdem verbis (dignitas rei contenta similiter eadem) significatio etiam æqualis est. nullo ergo fundamento dici potest, maiorem gratiam conferri per vnam speciem, quam per aliam. Vnde Concil. Trid. æque de vtraque definit, eum, qui vnam tantum earum sumit, nulla gratia ad salutem necessariam priuari, quod intellectum de necessitate simpliciter est certissimum, quia hæc necessitas in præsentia, solum esse potest necessitas præcepti: ostendimus autem inferius, præceptum communionis sufficienter impleri, stando in solo iure diuino, sumpta quacunq; specie sacramenti: Si autem intelligamus illa verba Concilij de necessitate morali, seu ad melius esse, profecto qua ratione hoc sacramentum ab eodem Concilio dicitur antidorum præseruans à mortalibus: & à Conc. Alex. auxilium opportunum, sine quo vix potest homo in gratia conseruari, eadem ratione id ipsum dici potuit de specie vini per se sumpta: & quidem de specie panis probatur, quia alias Ecclesia non satis prouideret fidelibus laicis, dâdo illis solam panis speciem. De specie autem vini sumitur argumentum à paritate rationis, & ex ratione, quam Concil. Trid. ut præcipuum fundamentum, posuit: quâdo dixit, sub singulis speciebus contineri totum Christum; Omnium gratiarum fontem, ut intelligamus: sub quacunq; specie hunc fontem sumamus, posse nos exhaurire omnem gratiam ad salutem, vel necessariam, vel perutilem ac sufficientem.

*Non conferitur per vnam speciem gratia sacramentalis distincta formaliter ab ea quæ per aliam datur August.*

Dico ergo tertio, per vnam harum specierum non conferri gratiam aliquam sacramentalem formaliter diuisam ab ea, quæ per aliam datur. Hæc etiam sequitur ex præcedentibus: & eisdem fundamentis ostendi potest. Primo ex verbis Christi, quæ æqualem promissionem continent: sunt autem accurate notanda verba illa. *Qui venit ad me non esuriat, & qui credit in me, non sitiet in æternum: nam, ut August. notat, venire ad Christum, & credere in illum idem sunt: nam fide viua ad Christum accedimus, & tamè huic actui tribuitur, satiare famem, & extinguere sitim spirituales, ut intelligamus (ait August. tract. 25.*

in Ioan.) in spiritualibus non esse aliud, famem, quam sitim: neque alijs bonis, seu gratis depelli, quod etiam notauit idem August. exponens verba Psaltes. *Panis cor hominis confirmat, & significat Cypr. l. 2. de Cena Domini, & colligitur ex illo Ecclesiastici 24. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient, & ex verbis Christi Matt. 5. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; nam si eadem est materia famis & sitis spiritualis, scilicet sapientia, vel iustitia, idem etiam erunt potus & cibus spiritualis idem ergo erit appetitus vtriusq; siue nomine famis, siue nomine sitis metaphorice significetur. Cum igitur hæc duæ species panis & vini ad satianc famem, & extinguendam sitim spirituales referantur, ad eundem etiam sacramentalem effectum institutæ sunt, quamuis sub diuerso signo semper præsententur.*

In quo etiam adiungere possumus: quamuis hæc partes, quoad res sensibiles & materialia signa diuersæ sint, tamen quoad rationem & modum significandi, formaliter etiam conuenire, quia significant per modum vniuersi, vel vniuersi rei coalescentis ex multis gratis, vel nutrimenti, quod per vniuersum communitur & vnitur sumentibus: ergo conueniunt etiam formaliter in effectu. Præterea, eandem rem sub se continent & applicant: Christus scilicet, omnium gratiarum fontem: ergo omnis gratia, quæ per vnam datur, potest dari per aliam: quia virtus conferendi gratiam potissimum est in re contenta. Præterea, si latera mentales gratiæ harum specierum essent distinctæ, aut esset propter habitudinem ad distincta numerata (& hoc non, quia vtraque ordinatur ad nutriendam charitatem, & conuenienter ad accedendum feruorem eius: & efficiendam vniuersam cum Christo) aut esset propter habitudinem ad diuersa auxilia: hoc etiam non, quia vtraque speciei conferuntur auxilia eiusdem rationis, æqualia & ad eundem finem ordinata, & ideo quilibet earum, ut dicebam, sufficienter adiuvat hominem ad perseverandum in vita gratiæ: alioquin, si aliquod auxilium daretur per vnam speciem, quod non per aliam, nunquam posset auxilium illud obtineri ex opere operato, per alteram speciem quacunq; deuotione & frequentia receptam. Arque ita ex hac parte nunquam posset satis subuenire spirituali hominis necessitati, qui omnibus his auxiliis indiget ad finem charitatis nutriendæ, & conseruandæ. Ad do denique, non posse facile cogitari, aut explicari, qualis sit hic effectus formaliter diuersus, aut quodnam auxilium detur per vnam speciem, quod non possit dari per aliam: nam si quis, verbi gratia, iugatus, per sumptionem panis confirmari spiritualiter cor, per sumptionem autem vini lætificari, hoc nihil rem explicat: quia his verbis metaphorice eadem res significatur: quia eadem charitas est, quæ & confirmatur cor, & in Domino lætificatur: ergo.

Sed contra, quia hæc duæ species sunt partes heterogeneæ eiusdem sacramenti: sunt ergo diuersarum rationum, ergo conferunt effectus diuersarum rationum. Confirmatur primo, quia ita contingit in alijs sacramentis constantibus ex huiusmodi partibus integranibus, ut sunt in sacramento Ordinis distincti Ordines, & in Pœnitentiâ, confessio, verbi gratia, & satisfactio. Confirmatur secundo, ex Ambrosio, ad Corinth. 11. dicente, carnem Domini esse propter salutem corporis, sanguinem propter salutem animæ. Respondetur ad argumentum has species esse diuersarum rationum, quoad significandam, vel rem significatam, non vero quoad significandam, vel rem significatam, ut declaratum est, & ideo non est necesse, ut habeant effectus diuersarum rationum: sicut in Baptismo, verbi gratia, ablutio, & verba sunt diuersarum rationum prædicto modo: & in Pœnitentiâ, confessio, & contritio: tamen in ratione signi habent eandem significandam: sicut etiam in actionibus moralibus, scriptura & verbum, sunt diuersa instrumenta significanda, non tamen formaliter diuersa in significatione.

tione: & ideo, si de eis æque constet æqualem vim habent; & ratio est, quia etiam sacramenti correspondet significationi, magis, quam rei significanti materialiter consideratur: & ideo, si est eadem formalis significatione, non est cur effectus sit formaliter diuersus. Ad primam confirmationem responderetur, non esse similia exempla, quæ afferuntur, nam diuersi Ordines sacri ordinantur, & ad diuersos fines & ad munera distincta, & ita etiam habent significationes diuersarum rationum: satisfactio vero directe solum significat remissionem pœnæ temporalis, cum tamen confessio, vel absolutio significet per se remissionem culpæ: an vero per satisfactionem sacramentalem aliqua specialis gratia conferatur, suo loco tractandum est. Ad secundam confirmationem responderet hic D. Thomas, artic. 1. ad 3. illud esse dictum ab Ambrosio per quâdam accommodationem; alioqui enim certum est Corpus Domini sub specie panis maxime operari ad salutem animæ.

Ex dictis in priori parte huius sectionis, facile intelligitur ratio dubitanti circa posteriorem partem supra positam. Videtur enim ex dictis sequi, maiorem gratiam dari per summptionem duarum specierum, quam vnus tantum, quia vtraque per se & sigillatim ratione sui promissa est gratia, vt in priori parte ex verbis Christi demonstratum est: ergo, siue vna harum specierum separatim ab altera sumatur, siue coniuncta cum altera, semper confert propriam gratiam sibi promissam: quia neque vna impedit alteram neque e contrario, neque promissio alicui earum facta est sub ea conditione, vt separatim, & non coniunctim cum altera sumatur: ergo per summptiones singularam specierum, cæteris paribus, dabitur duplo maior gratia, quam per summptionem vnus tantum. Secundo, quia effectus sacramenti correspondere ei debet secundum id, quod ex vi propria in se continet; nam hoc est in eo per se: reliqua per accidens, sed licet nunc totus Christus sit per concomitantiam sub singulis speciebus, tamen ex vi verborum sub vna est caro, & non sanguis: in altera vero e contrario: ergo ex vi verborum plus continentur duæ species quam vna: ergo plus etiã operantur. Vnde, si in triduo vtraque species simul sumeretur, plus efficeret quàm vna tantum, propter dictam rationem: ergo etiam nunc ita sit, quia promissio est eadem, neque augetur, aut minuitur effectus propter res per concomitantiam contentas, alioqui nunc per vnâ speciem plus gratia daretur, quàm in triduo per duas, quia continet animam Christi, quam in triduo ambæ species non continerent. Tertio, vtraque species simul sumpta perfectiorem significat effectum, quam alterutra tantum: ergo & confert. Patet consequentia, quia in sacramentis nouæ legis efficacia, ad æquata est significationi, quia efficiunt, & significant. Antecedens vero probatur, quia summptio vtriusque speciei representat integrum conuiuium, & ita significat perfectam animæ refectionem, quam vnâ speciem sola non significat. Item, per vtramque speciem significatur expressius ac distinctius passio Christi, quam per alterum tantum. Quarto, quia si eadē gratia quæ daretur, sumpta vna specie, datur summptis ambabus, vel illa datur, dum manducatur panis vel dum bibitur calix: vel partim per vnâ speciem, partim per aliam: nihil autem horum potest, aut sine difficultate, aut satis probabiliter dici, vt patebit facile, applicando argumenta præcedentibus section. tacta. Propter hæc fuit multorum Catholicorum opinio: plus gratiæ dari per duas species, quam per vnâ tantum. Quam viri graues referunt tenuisse plures ex Patribus, qui Concil. Trident. affuerunt, & ideo idem Concil. sess. 21. c. 3. caute dixisse, fideles, eo quod communicent sub vna tantum specie, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari: & tributur hæc opinio Bonauent. & aliis authoribus, qui, reuera, hoc non sentiunt, vt statim ostendam. Eam vero te-

net. Alex. Alenf. 4. part. quæst. 32. memb. 1. artic. 2. alias qu. 11. arti. vlt. §. 3. & ex modernis Casalius libr. 2. de Cœna, & calice Domini, & affertur in fauorem huius sententiæ Clem. VI. qui in quadam Bulla ad Regem Galliæ, anni 1341. ei cecedit, vt communicet sub vtraque specie ad gratiæ augmentum. Hæretici etiã, qui nullum effectum huius sacramenti agnoscunt, nisi excitationem fidei, consequenter dicunt, hunc effectum melius heri per duas species, quam per vnâ. Sed hoc iam satis reiectum est. Sed & illi hæretici, qui damnant Ecclesiæ consuetudinem, communicandi laicos sub vna tantum specie, libenter hanc sententiã amplectuntur, vt exaggerent, male facere Ecclesiã, priuando laicos illo gratiæ augmento. Sed non est, quod hac Catholicorum sententiã suam tueatur errorem, quia: etiam si hæc sententiã vera esset, non male fecisset Ecclesiã, nec priuasset fideles aliquo fructu, quem ipsi non possent facili diligentia compensare: nam cum hæc maior gratia solum distinguatur, quasi materialiter & numerice, frequentius communicando sub vna specie potest comparari: vnde, cum alioqui illa gratia, vt danda per speciem vini, non sit simpliciter necessaria ad salutem, nulla eis fit iniuria, nullumq; subeunt detrimentum. Sicut per duas communionem maior gratia datur, quam per vnâ tantum: & nihilominus merito prohibuit Ecclesiã bis eodem die communicare propter reuerentiam sacramenti. Hæc ergo opinio nullum errorem in hęc continet, sed probabilis est, vt fatentur etiam multi ex authoribus iam citatis.

Nihilominus dicendum est, non dari per se loquendo, ac cæteris paribus ex parte iumentis, maiorem gratiam per summptionem vtriusque speciei, quam alterius tantum. Hæc est sententiã D. Thom. infra quæst. 80. ar. 12. ad 3. vbi dicit, laicos communicantes in vnâ tantum specie, non pati aliquod detrimentum: quia totus Christus sub quacunque specie continetur. Clarius opusc. 58. c. 29. dicit sanguinem Christi à laicis sumptum sub specie panis, esse eis tam vtile, tamque dulcem, sicut sacerdotibus sub specie vini. Idem tenet Bonauent. in 4. distinct. 11. 2. part. artic. 1. quæst. 2. vbi dicit, sumpta vna specie, sumi totum sacramentum, quoad efficientiam: eodem modo loquitur Richard. ibi art. 4. qu. 6. Expressius Gabr. lect. 94. in Can. Latissime Caietan. infra quæstio. 84. artic. 12. Soto, distinctione 12. quæstio prima, articulo 12. Ruard. art. 15. & Rossen. art. 16. contra Luther. Petr. Soto, lect. 10. de Eucharist. Castro. verbo. Eucharist. hæretici vlt. Canisius. §. 4. de Eucharist. Clau. rep. 6. de Eucharist. capitul. 3. Bellarmin. libro 4. de Eucharist. cap. 23. Alan. libro. 1. Eucharist. capit. 39. Et alij communiter, qui his temporibus contra Lutheranos scripserunt: & quidam ex eis existimant, rem iam esse indubitatam post Conc. Trid. sess. 21. & Constant. sess. 13. Sed ex his nulla maior certitudo huius opinionis colligitur, quam antea erat, quia solum approbant, & definiunt, sanctam esse consuetudinem Ecclesiæ, communicandi laicos sub vna tantum specie, quæ veritas independens est à prædictis opinionibus: tum propter rationem supra allatam: tum quia, licet fideles priuarentur aliquo fructu gratiæ, id fieri posset propter reuerentiam sacramenti, sicut de factò nunc priuantur infantes. Et quamuis prædicta Concilia in confirmationem suæ doctrinæ inter alia afferant, quod totus Christus æque continetur sub vna specie, ac sub vtraque, non tamen dicunt æque etiam agere: imo Concil. Trident. quod de effectu gratiæ locutum est, limitationem addit de gratia necessaria ad salutem, vt ab opinionibus abstineret, sicut supra notauimus. Ruardus autem refert, Conc. Basiliensē concessisse Bohemis communionem sub vtraque specie, dummodo hos articulos confiterentur. Primus est, communionem sub vtraque specie non esse præceptam. Secundus, communionem sub vna specie

Alenf. Casalius. Clem.

2. Sententiã tenenda, negat per se loquendo dari maiorem gratiam iumentis vtramque speciem quam vnâ tantum.

Richard. Gabr. Caiet. Soto. Ruard. Rossen. Pet. Soto. Castro. Canis. Claud. Bellar. Alan.

Dubium vtriusque summptionis sub vna specie gratia conferatur quam concomitantibus sub vna.

vident.

1840.

specie non esse prohibitam. Tertius, non plus sumi sub duabus speciebus, quam sub vna. Quartus sub vna specie sumi corpus & sanguinem Christi. Ex quibus tertius videtur intelligendus de effectu: nã quãrus est de re contenta. Vnde distingui nõ possent, nisi in tertio sermo esset de effectu. Afferit ergo in illo articulo Concilium, non plus gratiã accipi ex communiõne duarum specierum, quam vnus, sed neq; hoc testimonium cogit: non solum quia hoc Concilium, certam authoritatem non habet, & maxime in hac parte, quã nec doctrinã fidei continet, neque in actis eius Concilij nunc extat: sed etiam, quia hæc dicta expositio, neque est necessaria, neque admodum consentanea, citatis verbis: nam verbum sumendi in tertio & quarto articulo in eadem significatione interpretandum videtur: nimirum esse de sumptione sacramenti, prout necessario sumitur in quarto articulo: & hæc est propria significatio illius vocis, iuxta communem vsũ: nec necesse est, illos articulos aliter distingui, quam quia vnus est veluti cõclusio alterius, & magis explicite proponit, quod in alio implicite continetur: nam etiam primus & secundus articulus in re fere idem sunt: & solum prædicto modo distinguuntur.

**Obiurgatio.**  
 Conclusio ergo posita non potest certa aliqua authoritate probari: & ideo non est certa, sed solum probabilior, magisq; rationabilis opinio: nam, cum hæc res pendeat ex Christi intentione seclusa authoritate, quã de Christi voluntate certo constat, non potest sola ratione hæc veritas cõvinci: quia nullus est principij fidei, ex quo possit necessario concludi. Quod vero hoc sit verisimilius, probari potest ex illo principio, totum Christum esse sub singulis speciebus, ex quo Concil. Trid. concludit, fideles communicantes, in vna specie, nulla gratia necessaria ad salutem priuari: quia Christus ibi contentus est fons gratiarum omnium: ergo eadem ratione possumus nos simpliciter concludere, nullum effectum gratiã dari per duas species, qui non detur per vnã: quia etiam Christus est fons, & præcipua causa totiũ gratiã, quã per has species datur. Dices, sub duabus speciebus, bis contineri Christum: in vna autem semel tantum, & ideo per eas bis conferre gratiam, semel autem tantum per vnã: & ideo, si per vnã speciem datur vnus gradus gratiã, per duas dari duos. Sed contra: nam etiam sub duabus hostiis bis continetur Christus: ergo, si successe iue sumantur eo modo, quo vna hostia & calix, dabit sub eis Christus duas gratiã portiones hoc autem est falsum, vt supra vidimus: quia illa materialis diuisio est per accidens, & moraliter est vna communiõ. sed in præsentia etiam duæ species sunt veluti duæ partes materiales, quarum sumptio est tantum vna moralis communiõ Christi: ergo est de illis eadem ratio. Vrgeris, multiplicacionem hostiarum esse omnino per accidens: quia sunt partes eiusdem, omnino rationis, quibus accidit, esse continuas vel discretas, duas vero species, cum sint diuersarum rationum, per se postulare distinctionem, seu discretionem, & multiplicacionem sumptionis: & ideo nõ esse eandem rationem. Sed contra: nam tota hæc diuersitas est valde accidentaria, & impertinens ad multiplicandos effectus duarum specierum: quia in primis ostensum iam est, duas species solum materialiter distingui, non in re contenta absolute & simpliciter, neque in effectu significato, neque in virtute agendi, quã æqualis est in quacunque parte, & in toto etiam ex vtraque specie composito: ergo nõ est, vnde multiplicentur effectus seu portiones: nam sola multiplicatio materialium instrumentorum ad hoc non sufficit, vt patet in ablutione & verbis Baptismi, vel in pluribus Baptismis, si contingat eundem hominem à pluribus baptizari: quia propter sola instrumenta non crescit virtus agendi, & consequenter neque effectus. Secunda ratio aliter confici potest, quã

**Solutio.**

nis fortasse in re in eandem coincidat: quia vnũ sacramentum, quamuis ex multis partibus constet, si ad vnũ finem, & formalem effectum ordinatur, vnũ etiam habet ad æquatum, & quasi indiuisibilem effectum, ad quẽ totum suo modo concurrat, aut per se primo, aut per aliquid sui, modo, scilicet accommodato suæ naturæ & applicationi: sed Eucharistia, vt constans ex duabus speciebus, est tantum vnũ integrum sacramentum, ordinatum ad eundem finem, & formalem effectum vnionis cum Christo, & seruoris charitatis: ergo habet vnũ tantum & indiuisibilem effectum gratiã. Maior quoad omnes partes probata est in superioribus: minor vero certissima etiam est, vt patet inductione in omnibus sacramentis: & ex dictis etiam in prima parte huius sectionis: quia vnũ sacramentum huiusmodi vnã habet significationem ad æquatam finem, & formalem effectum, ad quem ordinatur; ergo absolute vnũ etiam habet effectum ad æquatam gratiã quasi materialem seu indiuisibilem.

Dices, totum quidem sacramentum vnũ habere ad æquatam effectum, tamen nõ totum illud dari sumpta vna tantum specie. Sed in primis hoc excluditur ratione sæpe facta, quia virtus, perfectio, & significatio huius sacramenti, talis est, vt æque sit tota in toto & in singulis partibus propter præsentiam totius Christi in illis. Deinde ad hanc euasione excludendam, dixi, huiusmodi effectum esse quodammodo indiuisibilem, quia nõ datur per partes, sed simul totus, quam primum sacramentum est sufficienter applicatum: quando ergo Sacerdos sumit duas species, nõ recipit duas partes gratiã: vnã, dum sumit hostiam: aliam, dum sumit calicem: vt ex eis censetur consurgere ad æquatam effectum sacramenti: sed simul recipit totum effectum: ergo idem totus effectus recipitur (ceteris paribus) quandoquocumque tale sacramentum recipitur, siue in vna, siue in multis speciebus sumatur. Præsertim quia in hoc sacramento iuxta modum eius supra explicatum effectus totius sacramenti datur in initio applicationis eius: ergo idẽ totus effectus tunc datur, siue sumptio postea consummanda sit in solo pane, siue in solo calice, siue in vtroque: quia vt sæpe dixi, effectus sacramenti, & quantitas eius, non pendet ex futuro euentu. Atq; hæc sententia, magis explicata & confirmata manebit ex argumentorum solutionibus.

Ad primum responderetur, eandem omnino esse promissionem, quã facta est huic sacramento toti, & singulis speciebus eius: & ideo æque impleri in quocunque digne sumente Christum in hoc sacramento, siue sumat totum sacramentum, quoad signum sensibile, siue alteram speciem tantum, quia sicut tota perfectio sacramenti est in toto, & in qualibet parte, ita promissio vna est, quæ æque cadit in totum, & in quamlibet partem: quo sensu intelligenda sunt illa verba: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et ideo dicit Sancti, tantam virtutem esse in singulis partibus huius sacramenti, quantam in toto. vt supra citauimus disp. 51. sect. 1. & 2. & optimum est testimonium Paschalis lib. de corp. Christi; ca. 14. vbi comparans hoc sacramentum cum manna, inquit. Si ergo in figura vnici alimentum omnia præstabat, quando magis ipsium Christi corpus sanguine plenum, vnica specie sumptum, oia perficeret? Quando ergo duæ species simul sumuntur, neutra priuatur effectu sibi promisso, neq; vna impedit alteram, neque alicui diximus promissionem factam esse sub conditione alterius, sed vna promissio vtriusq; facta intelligitur in toto, seu ratione totius, & hæc adimpletur, & ideo neque augetur, nec multiplicatur effectus.

Ad secundum responderetur, nihil ad effectum referre, quod aliquid Christi ex vi verborum seu per concomitantiam sub speciebus continetur, sed si-

his esse, quod totus Christus ibi continetur: nam, licet respectu præcisæ significationis & veritatis verborum, reliqua quæ comitantur, videantur ibi esse per accidens, non tamen respectu institutionis, aut intentionis instituentis, qui per se intendit, ac voluit totus esse sub singulis speciebus, & ideo promissio gratiæ, facta huic sacramento, æque cadit in omne id, quod totum Christum continet: vnde eodem modo dixit Christus. Qui manducat meam carnem, &c. & Qui manducat me. Quid vero dicendum esset in illo casu de triduo ibi Proposito. Claud. repet. 10. cap. 3. sentit, minorem gratiam tunc fuisse dandam per vnam speciem, quam per duas, immo & minorem tunc fuisse dandam per vtramque speciem, quam nunc per vnam: & fundatur in hoc, quod tunc redemptio non erat consummata. Sed hoc fundamentum parui momenti est: quia reuera redemptio consummata est in morte, tum etiam, quia sufficiebat mors præuisa ad dandum æqualem effectum, sicut credendum est fuisse datum in Baptismo, ante & post mortem Christi, & per Eucharistiam Apostolis in nocte cœnæ, & postea, quia institutio vna est, & vna promissio; nec est, cur multiplex fingatur pro diuersis temporibus. eo vel maxime, quod pro illo tempore tridui nullus erat futurus usus Eucharistiæ & ideo non est verisimile, speciale effectum pro illo tempore Christum instituisse. Et hoc argumentum videtur concludere, nihil firmum, aut certum dici posse de illo casu: quia cum nunquam esset in re ponendus, nihil pro illo Christus statuit, tamen, si cõfictare licet, quid facturus fuisset Christus, si dandus aliquando esset ille casus, videtur verisimile, quod in argumento sumitur, minorem gratiam fuisse dandam in vna specie, quam in duabus, & potest sumi argumentum à contrario ex Concil. Trident. nam, si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis: si ergo causa, cur datur totus effectus in vna specie, est, quia ibi continetur totus Christus: vbi non contineretur totus, nõ daretur totus effectus. Neq; hoc, etiam si admittatur, obstat nostræ conclusioni: quia tunc oporteret illi fieri ex noua aliqua institutione, nunc autem iudicium ferendum est iuxta præsentem institutionem. Quocirca, cū præsens institutio generalis sit, omnia quæ tempora comprehendat à nocte cœnæ, siue in aliquo futuro fuerit usus huius sacramenti, siue non (hoc enim est per accidens) probabilis dicitur, etiam in triduo, dandum fuisse æqualem effectum per vnam speciem. Primo quidẽ, quia ita est à principio simpliciter, & sine exceptione institutum. Secundo, quia alias, vt supra argumentabar, etiam nunc daretur plus gratiæ per vnam speciem, quam tunc per duas propter animam, quæ ibi continetur. Tertio, quia licet in triduo non esset corpus Christi sub singulis speciebus, quantum ad naturam humanam, seu partes eius, esset tamen totus, quantum ad diuinitatis suppositum: quo modo verum est, totum Christum iacuisse in sepulchro & descendisse ad inferos: tota autem dignitas, & efficacia huius sacramenti est ex infinito supposito: caro enim Christi non est efficax, nisi vt diuina est, vt dixit Cyrill. libro 4. in Ioan. c. 14. & 17. & sanguinis eius est infinitum precium propter vniõnem ad Verbum, & ideo etiam propter dignitatem eiusdem suppositi non minueretur effectus. Neq; cõtra hoc obstat ratio supra facta: vel quia potest ad prædictum sensum accommodari, vel certe, quia causa ibi sumpta nõ est adæquata, sed est clarior & certior, præsertim quoad nos.

Ad tertium respondet Caietanus concedendo, in vtraque specie esse perfectiorem significationem: & negando consequentiam de efficacia: quod dicit, esse speciale in hoc sacramento, quia in eo visibile signum non est gratiæ instrumentum, sed solus Christus: Sed hæc responsio primo assumit falsum: nam supra ostendimus in principio huius materie, species

sensibiles huius sacramenti esse instrumentum gratiæ, non minus quam in cæteris, nec esse rationem vllam, cur hac perfectione priuentur. Deinde non videtur id multum referre ad argumenti solutionem: nam, quicquid sit de effectione physica, negari non potest, quin species moraliter concurrant, applicando Christum verum cibum: ergo dabit Christus effectum significationi specierum accommodatum. Respondetur ergo, posse nos loqui de significatione, aut ex parte rei significatæ, aut ex modo tantum significandi; priori modo nõ est perfectior significatio in duabus speciebus, quam in vna: quia vtraq; significat animæ refectionem & vniõnem, quæ eadẽ est significata in singulis, & in ambabus speciebus simul; in modo vero significandi est perfectior, & expressior modus in duabus speciebus, quam in vna, & hoc sensu est verum antecedens ibi assumptum, nec aliud concludunt probationes ibi adductæ: Illo autem sic concessio, negatur consequentia: quia ad perfectionem effectus sacramentalis attendenda est perfectio significationis ex parte rei significatæ, non autem ex solo modo significandi: quia sacramenta efficiunt quod significant, non prout significant, nec modus significandi est conditio necessaria ad agendum: sed significatio ipsa: sicut Baptismi effectus expressius significatur per trinam meritionem, quam per vnam, vt tractat Cyr. lib. 4. Epist. 7. & expressius per formam, quæ per materiam, vt D. Thom. supra docuit, & tamen non propterea datur perfectior effectus per vnum, quam per aliud. Adde, expressam illam significationem, quæ in consecratione separata duplicis speciei reperitur ad representandam separationem animæ Christi à suo corpore, vel effusionem sanguinis in passione, magis pertinere ad rationem sacrificij, quam sacramenti, & ideo ad summum illa ratione concludi posse, effectum sacrificij vt sic, non dari per consecrationem vnius speciei, sed vtriusque, de qua re inferius disputaturi sumus.

Quartum argumentum patet, cum sumitur vtraq; species, quando datur effectus, quidam enim aiunt, dari potest sumptum calicem, quia tunc consummatur sumptio sacramenti. Ita Claud. repet. 10. c. 3. Alij dari in sumptione hostiæ seu primæ speciei. Soto, distinct. 13. qu. 1. art. 12. Palacius, q. 5. concl. 7. Ledesm. 2. par. 4. q. 3. art. 2. Alij putant esse problema, vt idem Ledesma. 1. par. 4. q. 21. artic. 12. dub. 3. & Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 23. Mihi vero secundus modus dicendi verus videtur, qui probandus & explicandus eodem modo est, quo supra id fecimus circa duplicem partialem sumptionem hostiæ diuersæ, aut duplicem haustum eiusdem calicis: nam non aliter iudicandum est de duplici specie, quam de duabus partibus eiusdem speciei: vt rationes supra factæ probant. Vnde, si Sacerdos cum sumit hostiam est dispositus, statim accipit fructum gratiæ, vt patet, quia iam digne accipit corpus Christi. Item, quia si acciperet illam speciem sine intentione sumendi aliam (vt in die Parasceus) statim acciperet totum effectum non expectato calice: ergo idem erit, etiã si habeat intentionem sumendi aliam speciem: quia illa intentio, neq; abstulit virtutem sacramento, neq; posuit obicem in communicante, nec eum fecit deterioris conditionis, vt ei differatur effectus: vnde etiam posset accidere, vt interdum eo priuaretur, si cõtingeret, vel ipsum mori, vel calicem prorsus effundi ante sumptionem eius: nam dicere, in his eventibus Deum specialiter præuenire ex præscientia futuri euentus, est præter legem sacramentorum, vt sepe dictum est: datur ergo effectus, statim in sumptione corporis: q; si dispositio subiecti nullo modo crescat, per sumptionem calicis nullus nouus effectus dabitur. Nec præterea priuatur sacramentum suo effectu: quia illud non est sacramentum perse distinctum à priori, sed ex vtroq; vnum componitur, cui tribuitur effectus, operatur enim totum illud, per aliquod

Vera prope  
romitur.

Ad quartum

aliquid sui, cum primum potest. Neque etiã est inutilis illa sumptio calicis: cum, quia, etiã si non sit utilis sumenti ex opere operato, pertinet ad perfectionem sacrificij; per quamdam integritatem sacramenti, & ad diuinum cultum, & hoc satis est; & inde etiã resultare potest fructus ex opere operatis. Adde, & accedenti potest etiam conferre ad aliquem fructum ex opere operato: nam, si comunicans melius sit dispositus in sumptione calicis, quã fuit in sumptione hostiæ, augebitur in illo effectus cum debita proportione, vel, si contingat in sumptione hostiæ habere peccatum mortale non satis detestatum; & ante sumptionem calicis dolorem perirei, vitam gratiæ consequetur, quam prius non obtinuerat, quia iam digne communicat, & bibit sanguinem Christi, vt latius sectio ne præcedente dictum est:

## SECTIO VII.

*Verum Eucharistia conferat aliquem effectum gratiæ post sumptionem, quamdiu Christi præsentia durat.*

*Quidam affirmant, quamdiu Christus est intra corpus summentis, in illum continuo gratiam influere.*

**H**anc questionem propono propter celebrem opinionem, quæ tribus solum Caieta. qu. 79. artic. 1. eam tamen prius docuit Gabr. si attente legatur, lectio. 85. in Canon. & Major. in 4. distinct. 9. quæstione 1. argumento 5. & Palud. in 4. distinct. 17. quæst. 3. nu. 30. & eam postea secutus est Ruard. artic. 15. Hi enim auctores affirmant, quamdiu Christus præsens est intra corpus eius, quod digne communicauit; gratiam continue in illum influere, accommodantes illud Ioan. 9. Quædiu sum in mundo, lux sum mundi. Congruentia pro hac sententiã esse possunt (neque enim habet firmiora fundamenta.) Prima, quia hoc sacramentum institutum est per modum cibi: vbi concludit Concil. Florent. quos effectus operatur in corpore cibi materialis, secundum proportionem operari in anima hoc sacramentum: pari ergo modo concludere possumus, etiam in modo & diuturnitate operationis imitari hoc sacramentum, materialem cibum: sed cibus materialis nõ tantum operatur, dum sumitur, sed, quamdiu durat in stomacho, nutrit & confortat: ergo idem censendum est de hoc sacramento. Secunda, nam cur dicemus tunc cibi esse Christum quasi otiosum, cum habeat vim sanctificandij, & passum satis proportionatum, & applicatum? Dicunt aliqui, excitare tunc hominem ad deuotionem. Sed contra, quia, si confert hunc effectum ex opere operato, tanquam sacramentalem, semper hic effectus supponit effectum communis gratiæ sanctificantis: ergo influet illam; si vero ille effectus nõ fit, vt sacramentalis, nõ est certus & infallibilis, sed gratis asseritur. Hanc vero opinionem grauius reprehendunt recentiores Thomistæ, Soto d. 11. q. 2. art. 1. Ledesma q. 20. artic. 1. Victor. in Sum. nu. 79. & putant, esse contra D. Thomam q. 80. art. 8. ad. 6. dicentem: Maxima deuotio requiritur in ipsa sumptione huius sacramenti: quia tunc perficitur sacramenti effectus. Rationes etiam afferunt varias. Summa omnium est, quia hoc sacramentum confert gratiam per manducationem & potum, quatenus consistunt in vsu sumentis, postea enim tantum sequitur digestio specierum, quæ non est actio humana, sed mere naturalis & physica, quæ nihil refert ad effectum sacramenti, nam solus ille contractus, qui permanet inter species & hominem, non satis est ad effectum: alioqui etiam, si singamus Eucharistiam poni intra corpus hominis absque manducatione, id satis esset, vt conferret effectum: vel è contrario, dicere quis posset, effectum inchoari à primo contractu quo in ore recipit homo Eucharistiam, vel labijs illam contingit. Inferuntur præterea ex hac sententiã varia incommoda. Primum, iustificari hominem per hoc sacramentum, qui indigne manducauit illud, si, durante Christi præsentia, satis de peccato suo doluit. Secundum, si digne accepit,

*Qualiter ab alijs reprehenduntur.*

atgeri gratiam continue longo aliquo tempore. Tertium, peccare hominem mortaliter non solum indigne fumendo, sed etiam indigne Christum intra se retinendo: id est, perseverando in peccato toto eo tempore, quo Christus in ipso adest, quia in toto illo ponit obicem sacramento: & Christum retinet in vase immundo: tenebitur ergo pro toto eo tempore cõteri, seu tollere obicem. Quartum, quia sequitur per se vitium esse cæteris paribus, communicare in maiori specierum quantitate, vt plus duret in stomacho: vt ita Christus maiorem gratiam cõferat, & hinc sequuntur superstitiones ille, Inquisitori iudicio merito punite in his Sacerdotibus, qui suis deuotis plures formas tribuunt. Imo etiam sequitur, solum ob debiliorem vim digerendi species, fieri vt consequatur homo maiorem gratiæ fructum.

In hac re mihi in primis videtur, prædictam opinionem non esse tanta reprehensione dignam, quæ certum est, potuisse Christum Dominum hoc modo, & sub hac lege instituire hoc sacramentum, quia nullam inuoluit repugnantiam, nec indecentiam: imo speciem quandam benignitatis & pietatis præ se ferunt: non constat autem, Christum non ita instituisse, nec à prædictis auctoribus probatur: imo, si aliquo apparetur argumento id probari potest, ab eis preterminatur. Illud autem est, quia promissio gratiæ solum videtur facta huius sacramenti manducationi, iuxta illud, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Hoc autem nõ multum suadet, nam gratia ibi promittitur manducanti & bibenti, non ratione manducationis, sed ratione cibi manducati: nam manducatio ipsa nõ est ratio agendi, sed cõditio per modum applicationis: applicatio autem, non tantum solet esse utilis ad effectum, quædiu est in fieri, sed etiam ratione sui terminij, quædiu ille durat, recte ergo postea illa promissio sic declarari, vt sub manducatione, terminus eius seu cibus, vt manducatus, quatenus sic durat, comprehendatur. Et eodẽ modo possumus D. Tho. interpretari; præterquam quod illo loco obiter tantum loquitur, & ita affirmat vnum, quod certum est, & aliud, quod est incertum, non negat. Ratio autem Soti non cogit, sed potius videtur petere principium. Assumit enim hoc sacramentum conferre gratiam in sola manducatione, aut in libero vsu sumentis, quod est contradictorium eius, quod contraria sententiã affirmat, scilicet, non tantum in manducatione, prout dicit morum, sed in termino eius, gratiã dare. Nec refert, quod eo tempore iam ex parte hominis non fit actio corporalis libera circa sacramentum: quia tunc non datur gratia propter actionem ipsius hominis, sed propter sacramentum & præsentiam eius, non qualemcumque, sed vt terminantem manducationem, & constituentem Christum in ratione cibi manducati: vt explicitum est iuxta vim promissionis, & ideo nõ est similis ratio de quoilibet contractu antecedente manducationem: nec de alia præsentia, quæ miraculose fieri posset intra corpus sine manducatione. Alia vero incommoda, quæ inferuntur, vel incommoda nõ sunt: vel nõ inchoantur, si res ipsa, prout debet, explicetur: de quo ita tim dicemus.

Dico secundo, si eo tempore, quo Christi præsentia durat, prius quam transmutentur sacramentaliter species, dispositio hominis non perficiatur, nullum gratiæ augmentum ei conferatur. Hæc conclusio sequitur à fortiori ex dictis in præcedentibus sectionibus, nam si in ipsius sumptionibus partialibus non augetur gratia, non aucta dispositione præsentia sacramentalis: quia certius est, gratiam conferri in manducatione, quam postea. Secundo, quia si præsentia Christi manducati potest interdum contere ad effectum gratiæ, solum est, quatenus cõsumitur manducationis complet vnum integrum vitium sacra-

sacramenti, tanquam intrinsecus terminus eius, sed per vnum vsum, seu per vnam communionem, vnum tantum effectus datur, qui simul totus fit, si ex parte subiecti fit eadem dispositio, vt supra ostensum est: ergo. Tertio, hoc probant duo inconuenientia supra illata, scilicet, secundum & vltimum: nam, reuera, ostendunt institutionem eo sensu explicatam non fore ita conuenientem, cur enim homini, qui post actualem communionem statim distrahitur, vel dormit, esset gratia continue augenda, quam diu Christi presentia durat? praesertim, cum haec duratio praesentiae possit esse maior tantum casu, vel propter accidentales causas, vt supra dicebamus.

*Probabile est augeri gratiam sacramentalem quando Christus dicitur in corpore, si magis se adhaerent, magis se adhaerent.*

Dico tertio: Si eo tempore, quo Christus est realiter praesens intra hominem, ipse homo sese magis ac magis disponat, valde probabile est augeri in illo sacramentalem gratiam effectum. Hoc sensu videtur locuti Maior & Gab. & Caiet. Et si aduertatur factis coniecturis adductis inter referendum primam opinionem, & circa primam conclusionem in defensionem eius. Et vergeri potest amplius illa ratio, quod promissio gratiae praecipue fit facta huic sacramento propter Christum manducatum: iuxta illud, Qui manducat me, vivet propter me: & illud, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Vbi August. tract. 16. inquit, Manducare Christum est, illum manentem in se habere: & potest fieri etiam coniectura ex manducatione materiali, quando enim illa dicitur necessaria ad vitam, non praecipue tribuitur ipsi manducationi, vt significat actualis motus, sed praecipue ratione termini: ergo hoc etiam sensu recte intelligitur promissio facta huic sacramento: ita vt, cum dicitur, Qui manducat hunc panem, vivet: non intelligatur dictum solum ratione motus manducationis, sed etiam ratione ipsius panis manducati, quatenus in manducate manet: ergo toto illo tempore est hic panis efficax gratiae, si in sumente inueniat dispositionem. Praeterea, videtur hic modus institutionis aptissimus ad excitandos homines ad devotionem, & reuerentiam exhibendam huic sacramento, saltem eo tempore quo in ipsis permanet: nam hoc maiori cura & diligentia praestabunt, si spem habeant maioris fructus: imo videtur tempus illud magis accommodatum, vt homo interior se totum colligat, & ad fructum ex hoc cibo hauriendum disponat: nam illo breui tempore, quo est occupatus circa sumptionem exteriorem, non potest circa interiores actus tam attente versari. Est etiam ex parte ipsius sacramenti hic modus institutionis valde conueniens, tum, vt maiorem habeat efficaciam, tum etiam, vt intelligamus: totam efficaciam tribuendam esse ipsi sacramento: nam manducatio solum est applicatio causae, & ideo, si, dum applicatur, operatur, etiam applicatum manens, potens esse debet ad operandum, quantum est de se, si subiectum sit dispositum.

*Augustinus.*

Denique contra hanc sententiam sic expositam, nihil videntur obiectiones contrariae opinionis, nam ad D. Tho. & rationem, responsum iam est: ad incommoda vero facile dicitur, primum, non solum non esse inconueniens, sed etiam maxime dignum Christi benignitate & efficaciam in redimendo & saluando homine: nam, si ad hunc finem venit in hominem per hoc sacramentum, vt illum sibi vniat, & in itinere veniens (vt sic dicam) non inuenit illum dispositum: antequam vero discedat, homo se conuertit ac disponit, cur non operabitur in illo effectum, propter quem ad eum sacramentaliter venit? Est etiam hoc valde accommodatum humanae fragilitati, & ad spe eius erigendam aptissimum: vt per se manifestum est. Secundum etiam praedicto modo intellectum non est inconueniens, sed potius conuenientissimum: nam si toto illo tempore continue augeatur dispositionis perfectio, & consequenter gratia ex opere operantis, quod inconueniens esse potest, vt etiam augeatur ex opere operato? Item, cum homo hunc panem co-

*Alfordam. Quorundam opinio. Pet. Soto. Caietanus.*

medat, vt ex illo spiritualiter nutriatur, si toto illo tempore circa panem illum vitaliter operatur, vt ex illo fructum capiat, quid mirum, quod talis nutritio continue toto illo tempore fiat? Ad tertium concedo, per se loquendo esse in homine illam obligationem: neque in hoc ostenditur vlla ratio absurdi vel inconuenientis: nam, si statim post communionem, quando homo est certus adhuc in se Christum habere, mortaliter peccet, sine dubio grauem iniuriam Christo facit, & specialem malitiam inde contrahit; ergo, qui illo etiam tempore perseverat in peccato mortali, per se loquendo, in hoc specialiter peccat. Hoc autem peccatum non est distinctum ab ipsa indigna sumptione, sed est idemmet factum grauius ex hac circumstantia: dico autem, per se, quia ob inaduerentiam facile potest homo excusari ab hac malitia, praesertim, cum sit valde incertum tempus, pro quo durat sacramentalis Christi praesentia. Adde etiam, hanc opinionem non esse certam, & ideo propter ignorantiam, vel contrariam opinionem probabilem, interuenire posse praedictam excusationem. Ad quartum, negatur simpliciter sequela: nam iuxta nostram sententiam effectus non augeatur praecipue propter diuturniorem praesentiam, sed propter meliorem dispositionem recipientis. Vnde, si tota illa dispositio in vno instante haberetur, simul totus, obtineretur effectus: quod ergo ibi fit successio, & duratio, est per accidens ex defectu dispositionis, & ideo non sequitur ex hac sententia, superfluitose, & introducendo ritus, ab Ecclesiae consuetudine alienos, curandum esse, vt praesentia Christi in homine magis duret, sed potius sequitur, magnam diligentiam esse adhibendam, vt homo perfectius se disponat, reliqua etiam per accidens sunt, vt constat etiam ex dictis de successiva sumptione, continua, vel discreta.

## SECTIO VIII.

*Verum hoc sacramentum habeat effectum gratiae post transactam sumptionem & praesentiam Christi, scilicet, recedente fictione.*

**C**ertum est, si tempore sumptionis homo recipit totum gratiae effectum, quem per hoc sacramentum accipere potest, nihil superesse quod postea fiat, loquendo de effectu gratiae habitualis, prout nunc loquimur. Vnde in hoc eadem est ratio huius sacramenti, & ceterorum: nam per se loquendo omnia causant gratiam, quando applicantur ad vsum, non vero postea, nisi forte per accidens, si contingat, prius effectum impediri, propter obicem, postea vero fieri, remoto obice. Solum igitur in hoc sensu potest praesens quaestio tractari, an in eo, qui sicte Eucharistiam accepit, postea recedente fictione, incipiat habere effectum, etiam si manducatio, & praesentia sacramentalis Christi omnino transacta iam sint. Quam quaestionem superius attingimus disputatione 8. sectione 3. Vnde hic pauca addenda occurrunt. *Quorundam opinio.* Quorundam ergo sentiunt, Eucharistiam habere effectum, recedente fictione, quod in particulari, & in specie de hoc sacramento pauci affirmant, sed solum hi, qui generaliter hoc tribuunt omnibus sacramentis, vt *Pet. Soto.* Petrus Soto lectio. 4. de Baptismo. & lectio. vltim. de satisfact. & alij, quos praedicto loco citavi. Vnde potest argumentum sumi: nam, si cetera sacramenta hoc habent, cur non etiam hoc, quod sicut est ceteris dignius, ita debet esse efficacius? Aliter Caiet. hic, artic. *Caietanus.* 1. quaestio. 79. sub distinctione videtur respondere, hoc enim sacramentum per se dat augmentum gratiae, per accidens autem contingit, vt interdum det etiam primam gratiam. Quantum ad augmentum igitur, ait, hoc sacramentum habere effectum, recedente fictione, seu impedimento, quodcumque illud sit: nam iuxta suam opinionem, si quis tempore actualis manducationis distractus est, & sine actuali dispo-

Trc dispo-

dispositione, non recipit augmentum: si tamen postea se disponat, consequetur (inquit) illud augmentum: quod non aliter probat, nisi quia, licet prius non receperit in actu illud augmentum, recepit, inquit, habitualiter: seu clarius recepit ius, ut postea, remoto obice, detur. At vero quantum ad primam gratiam, sentit, non dari postea, remoto obice, si ille duravit toto tempore sumptionis, comprehendendo totam durationem praesentiae Christi: quia si quis inquit, tempore sumptionis, non resuscitatur ad vitam, non apparet, quare deinceps ex virtute huius sacramenti resuscitabitur. Sed haec ratio non est magni momenti quia facile potest reddi ratio, quia prius non fuit dispositus, & postea se disposuit, sicut ipse necessario esse respiciendus in priori membro, si eadem interrogatio ab eo fieret. Vnde nulla etiam videtur sufficiens reddi ratio differentiae inter illa duo membra: nam, licet verum sit, hoc sacramentum per se conferre augmentum gratiae, per accidens autem primam gratiam, cur tamen sicut recedente fictione, habet effectum augmenti, eodem modo scilicet per se, non habeat etiam effectum primae gratiae eodem modo, scilicet per accidens? cum uterque modus sit ex opere operato, & ratione ficti ad aliud. Denique alia sacramenta viuorum, quae habent effectum, recedente fictione, ut Confirmatio, & Extrema unctio, sicut dant augmentum gratiae, recedente fictione, ita & primam gratiam, seruata proportione, quibus per accidens illam conferant: imo reuera, solum primam gratiam conferunt, recedente fictione: quia, respectu solius augmenti nunquam ponitur fictio, ut in superioribus dictum est: ergo in praesente, vel utraque gratia datur, recedente fictione, vel neutra, quod sine dubio verius est.

*Eucharistia non conferre suum effectum recedente fictione: praesentia Christi desinit in iuramento.*  
*D. Thom.*  
*Durandus.*  
*Maiores.*  
*Bonauent.*  
*Paludanus.*  
*Alens.*  
*Soto.*  
*Medius.*  
*Syluest.*  
*Can.*  
*Coranh.*

Dicendum est ergo, hoc sacramentum non habere effectum, recedente fictione, si iam omnino desinit sumptio, & praesentia Christi in sumente, quod tenet D. Thom. in 4. d. 4. q. 3. art. 3. quaestiuicula 3. ad 3. & ibi Durand. q. 4. Maiores. q. 2. Bonauent. art. 2. qu. 3. ad penult. & d. 12. 2. part. artic. 1. q. ad ult. & ibi Palu. q. 4. Alens. 4. part. qu. 10. memb. 7. artic. 3. §. 11. memb. 8. art. 3. §. 1. Soto dist. 6. q. 1. ar. 8. dist. 11. qu. 2. art. 1. Medina Cod. de Poenit. tracta. 2. 46. de Poenit. extra gratiam impleta. Syluest. verb. Baptism. 4. n. 12. Canon. relect. de Poenit. part. 1. Cordub. libr. 1. quaest. Theolog. quaestione 2. Fundamentum potest in hunc modum explicari: quia, si auctoritatem spectemus, nulla est, vnde aliud colligi possit: nullus enim Sanctorum hoc docuit: imo Paulus de indigne communicante dixit, iudicium sibi manducare & bibere: nunquam autem dixit talem communionem postea esse posse illi vilem. Si autem coniecturis vtendum est, non est consideranda solum excellentia & perfectio sacramenti, sed etiam reuerentia illi debita, & necessitas aliqua huiusmodi efficaciae, recedente fictione: in ceteris enim sacramentis oritur haec necessitas ex eo, quod, vel iterari non possunt, aut simpliciter, aut pro aliquo statu, vel quia sunt ad salutem media necessaria: hoc autem sacramentum, & frequentissime iterari potest, & effectus eius non est simpliciter ad salutem necessarius: ergo nulla est necessitas, ob quam habeat effectum, recedente fictione: magis autem spectat ad reuerentiam tanti sacramenti, ut homines intelligant, si ficti, aut non satis dispositi ad illud accedant, non solum fructu, sed etiam ipse fructus ex tali communione priuari. Et confirmatur specialiter contra Caietan. nam si is, qui priuatur augmento gratiae propter actualem distractionem, postea illud recepit, quando aduertit, & se disponit, ergo similiter, qui accessit cum remissa dispositione, si post omnino transactam sumptionem, intensiorem actum habeat, recipiet etiam intensiorem effectum sacramenti, ob praecedentem communionem, quod dicere ridiculum est, licet enim posset in infinitum

procedi, & quotidie recipere possemus gratiam ex opere operato, propter omnes communionem in vita factas, si vnum actum deuotionis elicere in omnibus superioribus intensiorem: Sequela autem patet à paritate rationis, seu potius à fortiori, quia sicut prior posuit obicem totius effectus per carentiam totius dispositionis, ita posterior posuit obicem intensio effectui propter carentiam intensae dispositionis: ergo quando illam adiunxerit, suppletur illi quicquid de perfectione effectus ei defuit: quod enim aliquem effectum receperit per remissam dispositionem, non propterea sit peioris conditionis, vt non possit id, in quo defecit, refarcire. Et confirmatur, nisi supposita opinione Caietani, si is, qui nullam dispositionem habuit, postea per intensum actum se disponat, recipiet effectum intensae dispositionis proportionatum: ergo multo magis, qui remissam dispositionem habuit, si postea intensior addat, recipiet quicquid effectus sibi defuit: sicut ergo hoc falsum est, ita & primum. Posset quidem responderi iuxta probabilem opinionem supra tractatam de Baptismo, disputatione 28. sectione 4. quando dicitur datur gratia, recedente fictione, dari minimam gratiam, & non iuxta perfectionem dispositionis, per quam fictio tollitur: & ideo, quando nihil gratiae datum est ex defectu dispositionis, aliquid postea recuperari, habita dispositione: quoad vero aliqua gratia in principio comparata est: nihil esse, quod postea redeat per ablationem fictionis seu obicis. Sed licet illa opinio sit valde probabilis, supponendo (quod verum est) solam carentiam actualis deuotionis non esse obicem sed peccatum aliquod non detentatum, tamen supponendo (vt Caietanus supponit) solam carentiam actualis dispositionis impedire gratiam sacramenti, & hanc restitui, habita tali dispositione, idem consequenter dicendum esset de intensio dispositionis, quod de tota dispositione, cum debita proportione. Verius ergo est, nunquam augmentum gratiae dari per hoc sacramentum, seu ratione illius, postquam omnino esse desit, seu transactam est: idemque esse dicendum de prima gratia, non solum, quia per accidens datur per hoc sacramentum, sed etiam propter alias rationes supra adductas.

Sed contra, nam gratia semel habita per hoc sacramentum, & postea per peccatum perditam per poenitentiam reparatur: ergo etiam gratia per peccatum impedita in susceptione huius sacramenti per poenitentiam restituitur. Responderetur, negado consequentiam quia gratia semel habita, re ipsa fuit applicata propter meritum Christi: & ideo est de se perpetua, & datur ad gloriam cum effectu obtinendam, si homo in gratia decesserit, vt latius dicturi sumus in materia de Poenitentia: at vero quando gratia fuit à principio impedita, nunquam homo acquisiuit dominium eius: nec ius ad perpetuitatem eius, & gloria illi correspondetis, si in gratia decesserit: quia meritum Christi non fuerunt ei re ipsa applicata. Quocirca longe alia est ratio reuiviscenae meritorum, quae fundatur in lege, & promissione, sub qua meremur de condigno apud Deum, alia vero efficaciae sacramenti recedente fictione, quae colligenda est ex propria natura, & institutione sacramenti: quod in hoc sacramento fieri nullo modo potest. Neque certe est verisimile, perditum Sacrodotem, qui quotidie indigne communicat, per vnum actum poenitentiae in fine vitae, consequi omnem gratiam, quam ex opere operato obtinisset, si digne communicasset.

#### SECTIO IX.

*Vtrum Eucharistia det aliquem effectum gratiae actualis, quando illum conferat.*

**Q**ua haecenus diximus, ad habitualem gratiam & vit-



tempore est promissus: oportet autem, vt homo digne receperit Eucharistiam (quia, vt dixi, in hoc sacramento non reuiuiscit effectus, si cum obice susceptum fuit) & quod postea homo prædicto tempore opportuno non se reddat indignum huius effectus per aliquod peccatum, aut aliam causam impediendam rationem motum Dei. Vnde in nullo argumentum posse ex experientia sumi ad iudicandum, an hic effectus sit infallibilis, nec ne, tum, quia non potest homini satis constare, an digne susceperit sacramentum: tum etiam, quia nescit, an postea ponat obicem, vel impedimentum aliquod, ignorat etiam, quando sit illud tempus commodum & opportunum. Deinde non raro hoc auxilium gratiæ consistit in aliquo effectu diuinæ providentiæ, quem homo sæpe non aduertit, sæpe etiam comprehendere non potest. Ac denique, quando hoc auxilium consistit in actu vitali ipsius hominis, quamuis possit illum in se experiri, non tamen potest satis diiudicare, qualis sit ille actus: neque vnde veniat: aut quo vadat, & ideo multo minus experiri potest, an, quando sentit in se talem motionem, illa sit effectus huius sacramenti, necne: quando vero illam motionem in se non sentit, ad id proueniat ex impedimento aliquo, vel quia tunc non est illis expediens. Et ideo non est, cur conscientia timorata, & qui morale diligentiam adhibent, vt digne accedant ad hoc sacramentum, contristentur, aut nimium timeant, si fortasse, dum communicant, nec feruorem illum charitatis, nec dulcedinem ac suauitatem illam sentiant, quam dicimus esse effectum huius sacramenti: quia, quamuis digne communicent, possunt non recipere hunc fructum, vel quia fortasse tunc illis non expedit, præsertim quatenus interdum redundat in inferiorem appetitum, vel quia etiam sine peccato graui potest hic effectus impediri: quia homo negligenter accedit, aut quia naturaliter distractus est.

## SECTIO X.

*Vtrum Eucharistia remittat venialia peccata & temporales poenas, tam digne sumentibus.*

**D**E peccatis venialibus vera est sententia D. Thomæ quam supra in commentariis explicauimus, ex opere operato remitti per hoc sacramentum, quam etiam docuit Magister in 4. distinct. 12. & ibi D. Thomæ artic. 2. quæstionum 1. Bonauent. 2. part. artic. 7. quæstionum 2. & reliqui Theologi, & Innocent. lib. 4. de hoc myster. cap. 4. & optime Concil. Colonien. Catechis. Pij V. dum tractant de hoc sacramento, & sumitur etiam ex Patribus, Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 6. & August. cap. Vtrum sua figura, & Gregor. in capit. Quid sit sanguis. de Consecrat. distinct. 2. Bern. dicto serm. de Cœn. Dom. cuius verba sectione præcedente citauimus, cum Chryso. & Cyrill. & alios referam disputatione sequente, sectione prima, & fauet Conc. Trident. sessione 13. cap. 1. dum aliter loquitur de hoc sacramento, respectu venialium peccatorum, & mortalium: dicit enim: liberare nos à venialibus, præseruare autem à mortalibus: sentit igitur, à venialibus non solum præseruare, sed etiam ab eis iam commissis nos liberare: quod facere non potest, nisi remittendo illa. Ratio à priori petenda est ex institutione, quam omnia adducta probant, quam vero congrua hæc institutio, quamque consentanea perfectioni ac fini huius sacramenti, & per se satis notum est, & optime à D. Th. in art. explicatur.

Sed quæres, quænam dispositio necessaria est ex parte sumentis, vt Eucharistia conferat hunc effectum. Responderetur in primis, non esse necessariam talem ac tantam dispositionem actualem, quæ per se sufficeret ad veniale peccatum tollendum per formalem repugnantiam, aut condignam satisfactionem, qualis esset feruens actus charitatis, aut forma-

lis deestatio talis peccati propter Deum. Nam si tam perfecta dispositio esset necessaria, per illam esset ablatum peccatum veniale: & ideo sacramentum nunquam hunc effectum conferet ex opere operato, nisi forte mediante & remoto, quatenus auxilium ad talis actum datur per sacramentum, & tunc iam ille actus non esset dispositio ad sacramentum, sed potius effectus eius, & adhuc ille modus non est sufficiens, vt dixi circa literam D. Th. ex mente eius: si enim illa remissio, quali per accidens tantum esset ab hoc sacramento, cum tamen finis & perfectio eius per se & directe requirat huiusmodi effectum. Adde sacramentum hoc tollere peccatum mortale sine actuali dispositione, quæ per se sola sufficiat ad expellendum illud: multo ergo magis poterit venialia peccata ita tollere, cum magis per se sit ad illa remittenda institutum: eo vel maxime quod hic effectus communis est aliis sacramentis, vt in superioribus tactum est, & latius dicitur in materia de Penitentia: ergo perfectus & proprius conuenit huic sacramento, cuius est, debiles confortare, & languores sanare, vt D. Thom. ait, opusc. 59. c. 5. Ad hunc ergo effectum duo tantum videntur necessaria ex parte sumentis, vnum, vt sit in statu gratiæ, & propter dignam summptionem sacramenti, & quia non potest veniale peccatum sine mortali remitti: aliud est, vt non inueniat actualem affectum talis peccati, vt supra dictum est: præter hæc autem nihil aliud est necessarium: sed infundendo suam gratiam sacramentalem, simul Eucharistia delet venialia, & hoc est propria illa tollere ex opere operato, & sic distinguitur hic effectus à præcedente, alias confunduntur.

Vnde ulterius de remissione temporalis poenæ concluditur, non dari per Eucharistiam ex opere operato, vt ex mente Thomæ supra explicuimus, & ex differentia, quam ponit inter remissionem culpæ venialis, & poenæ temporalis: nam illa simpliciter tollitur per hoc sacramentum: hæc vero non, sed iuxta valorem actus ipsius hominis. Et propterea neque Scriptura, neque Concilia aut Patres huius effectus meminerunt, quod satis est, vt sine fundamento non asseratur præsertim, cum neque ex augmento gratiæ colligi possit, vt per se constat, neque ex fine huius sacramenti, quia reatus poenæ non includit malitiam morale impediendam feruorem charitatis. Adde, Eucharistiam, quatenus sacrificium est, per se ordinatam esse ad remissionem poenæ temporalis, & ideo necesse non fuisse, vt subratione etiam sacramenti ad eundem effectum tolleretur.

Atque hinc tandem concluditur, Eucharistiam, vt sacramentum est (nam de sacrificio postea dicemus) non habere effectum aliquem ex opere operato, nisi in solis sumentibus: nam, si aliquem habere posset, maxime effectum remissionis poenæ temporalis: sed hunc non habet etiam in ipsis sumentibus: multo ergo minus poterit eundem habere in aliis: ergo neque vllum alium. Maior & vltima consequentia patet, tum ex generali doctrina supra data de sacramentis, tum etiam inductione: quia constat gratiam sanctificantem, & omnia dona, quæ ad illam pertinent, & remissionem culpæ, non posse alius donari, etiam quando comparantur ex merito operantis, nedum quando ex opere operato: quia semper dantur ad propriam sanctificationem, vel operantis, vel recipientis sacramentum, & ita promissio gratiæ semper respicit solum recipientem, iuxta illud: Qui manducat me, viuet propter me, & Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, & in me manet, & ego in eo. effectus autem non excedit promissionem. Vnde etiam ipsum sacramentum in vsu & applicatione sua solum significat sanctificationem ipsius sumentis: maxime in hoc sacramento, quod datur per modum cibi, qui solum manducanti prodest. Adde etiam, si hoc sacramentum remitteret poenam temporalem sumentis, nihilominus, vt sacramentum est, non posset

Posset ea voluntas suscipientis effectum illum alteri communicare: quia omnes effectus, quicumque ille sit, datur suscipienti, ut proprium eius beneficium ac privilegium; & ita fit in Baptismo, Pœnitentiâ, & aliis sacramentis: nec contrarium docuit D. Thom. in 4. d. 45. q. 2. art. 3. questiu. 1. ad 3. nâ ibi non agit de ratione sacramenti, sed sacrificij, hic autem apertius distinguens, & loquens de hoc sacramento, ut sacramentum est, negat habere effectum in alio, præterquam in sumente: idem docet super caput. 6. Ioan. lectione 6.

Dices, interdum fideles non solum p̄ij, sed etiam docti, pro aliis communicant, & pro animabus Purgatorij, quibus talis communicatio, si ad remissionem peccatorum prodesse non potest, nullum fructum asserre valet. Vnde impertinens esset, & superfluitiosa talis relatio, vel oblatio communionis pro anima Purgatorij. Respondetur, ideo dixi (ex opere operato) nam aliis modis actus communicandi pro aliis oblati illis, prodesse potest, est n. actus religionis, vnde ex opere operantis de se est satisfactorius coram Deo, & ita potest pro alio offerri, quoad satisfactionem ex opere operantis, & illi prodesse per modum suffragij. Deinde est etiam actus meritorius, & ita etiam potest aliis prodesse per modum meriti de congruo, vel per modum impetrationis. In quo censetur hoc sacramentum habere specialem efficaciam, vel quia, cum excitet ad feruorem charitatis, ex hac parte habere potest ille actus maiorem congruitatem ad meritum, & impetrationem, vel quia propter realem Christi præsentiam & coniunctionem, familiarius & feruentius solet tunc ad illum & per illum oratio fundi, ut D. Th. citato loco notauit.

DISPUTATIO LXIV.

De effectu, quem sacramentum Eucharistia habet in corpore.

**Q**uam dictum est de effectibus animæ, superest, ut inquiramus, an etiam in corpore habeat sacramentum hoc aliquos effectus, & primo dicemus de tempore huius vitæ, deinde de statu glorioso resurrectionis, ex quibus tandem questionem illam his temporibus controuerfam, definimus, de vnione corporali, inter Christum in hoc sacramento existentem, & corpus hominis manducantis illum.

SECTIO I.

Virum sacramentum Eucharistia in corpore suscipientis aliquid efficiat.

**V**o possunt esse dicendi modi extreme contrarij. Prior est, hoc sacramentum efficere in corpore quasdam qualitates, per quas corpus CHRISTI dicitur vniri corpori nostro, sicut in anima efficit gratiam, per quam Spiritus diuinus spiritui nostro coniungitur. Quod si inquiras, quænam sint istæ qualitates, responderi potest, esse participationes quasdam dotum gloriæ, per quas quodammodo caro nostra disponitur ad immortalitatem, quæ est effectus huius sacramenti, vt postea dicemus, ita vt sicut gratia est semen, & pignus beatitudinis animæ: ita hæc qualitates sint pignora quædam gloriæ corporis. Huius sententiæ non inuenio authorem, aliqui vero ex recentioribus conati sunt eam defendere, & in hunc modum explicare vnionem corporalem, quam Sancti aliqui fieri asserunt per dignam communionem huius sacramenti, & hoc est præcipuum huius sententiæ fundamentum. Quod ita potest confirmari, nam hoc sacramentum aliquid amplius conferre debet corpori digne communicantis, quam eius, qui

Fr. Suarez Tom. 3.

indigne communicat, quia aliter illi coniungitur: sed nihil est quod conferat, nisi huiusmodi qualitates: ergo.

Posterior sententia est, hoc sacramentum nihil omnino efficere in corpore, sed solum in anima, quam docuit Turrecremata in cap. In Christo Pat. de Consecr. d. 2. & Petrus Martinez in Epist. Iudæ, loco 23. & sumi potest ex D. Thom. hac q. art. 1. ad 3. dum ait, hoc sacramentum non operari in corpus, nisi quatenus effectus gratiæ in corpus redundat, cum membra nostra exhibemus arma iustitiæ Dei. Et fauent Sancti, qui negant, hoc sacramentum esse institutum, vt corporalem effectum conferat, sed spirituales tantum, vt videtur loqui Cypr. ser. de Cen. Dom. Damasc. l. 4. de fide. capit. 14. & Cyrill. Hierosol. catech. 4. mytag. Fundamentum vero huius sententiæ est, quia omnes promissiones à Christo factæ suscipientibus, hoc sacramentum sunt spirituales, & si aliquæ pertinent ad corpus, respiciunt vitam futuram, non præsentem, vt Ioan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Sed inter has sententias media via tenenda est.

Dico ergo primo: Hoc sacramentum non efficit in corpore qualitates aliquas supernaturales, per quas illud ad gloriam disponat, seu corpori Christi conforme efficiat. Hæc conclusio existimo ita certam, vt contraria opinio non probabilis, sed noua temeritas iudicanda sit, nam, licet antiqui Theologi doctrinam hæc expresse non doceat, tamen cum harum qualitatum nullam mentionem fecerint pro comperito habuerit illas non dari: neque aliquo probabili fundamento fingi posse, quia neque vlla extat de hoc effectu promissio: vt constat, neque in Euangelio Ioan. c. 6. aut alibi est scripta, neque ab Ecclesia, vel Patribus est tradita. Neque etiam est vlla necessitas vel utilitas huius effectus: quidquid sit de possibilitate eius, hæc enim non est satis, vt affirmemus absque alio fundamento de facto conferri, quia non omnia, quæ supernaturaliter & miraculose in homine fieri possunt per hoc sacramentum sunt. Assumptum vero ita declaratur, quia illæ qualitates fingi possunt, vel immediate in corpore seu materia, vel in potentiis animæ, quæ in corpore inhaerent; si priori modo ponantur, vt prior opinio sentire videtur, sunt prorsus inutiles, quia neque in hac vita deseruiunt ad opera virtutis, quia non sunt operatiue: neque ad pulchritudinem vel ornatum corporis, quia neque visu, neque alio corporis sensu percipi possunt. Rursus, neque ad perfectionem vitæ futuræ quicquam conferre possunt: quia, corrupto corpore per mortem, ipsa et corruptentur, in quo magna est differentia inter eas & gratiam, quæ est in anima, nam hæc est perpetua, & ita est in hac vita semen vel pignus gloriæ, vt eadem perseverans in beatitudine consummetur: quod de his corporis qualitatibus dici non potest: nisi quis fingat, post mortem conseruari in cadauere, & in vermibus, & in quacunque re alia, quæ ex illa materia generetur, quod per se satis absurdum est & incredibile. Vt autem hæc qualitates dicantur infundi in potentiis animæ sentitiuæ, oportet, vt sint aut species aliqua, aut virtutes infusæ. Et quod ad species attinet, si aliqua infunderentur, experimento cognosci possent. Et eadem ratione posset quis fingere imaginarias visiones seu phantasmatas, quæ ratione huius sacramenti tribuerentur. Atque idem argumentum est de habitibus infusis per accidens, nam hi, si sint studiosi, moderantur passiones, & excludunt vitiorum habitus, qui tamen non tolluntur per solum vsum huius sacramenti, sine exercitio virtutis. Denique, illa ratio his omnibus effectibus communis est, quod nimirum non infunduntur per accidens, nisi miraculose, aut per modum gratiæ gratis datæ, & neuter modus agendi est attribuendus sacramentis, nisi de promissione constet. De virtutibus autem per se infusis, si quæ fortasse sunt in ap-

Ttt 3 peccitu

2. Sententia

Mr. eorum. Martinez.

Cyprian. Damasc. Cyrill.

Ioan. 6.

Eucharistia non efficit in corpore qualitates supernaturales.

Obiisio.

similit.

Non habet...

Disput. de Eucharistia.